E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

NOVARIEN.

R.mus Dominus Eduardus Pulciano Episcopus Novariensis S. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

I. In dioecesi Novariensi extant plures parochiales Ecclesiae erectae dismembratione ab aliis Ecclesiis parochialibus. In actu erectionis competens honor Ecclesiis matricibus tribuendus ad tramitem c. 3 *ad audientiam, de eccl. aedific.* ita constitutus fuit, ut ecclesiis matricibus fuerit reservatum ius Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes benedicendi fontem baptismalem, Rectoribus vero ecclesiarum filialium onus impositum accedendi ad Ecclesias matrices, ibique assistendi benedictioni fontis baptismalis et recipiendi aquam baptismalem.

Verumtamen in Pastorali visitatione Episcopus Orator cognovit morem invaluisse in Ecclesiis filialibus, ubi est fons, enunciatis diebus sacras functiones peragendi, benedicendi aquam ritu

in Missali statuto usque ad Ss. Oleorum infusionem exclusive et postea Missam canendi. (Haec rite fieri opinio in animis fidelium ita insita est, ut ex omissione et praesertim ex omissione benedictionis aquae modo praedicto Parochi gravia timere debeant).

II. Insuper in pastorali visitatione idem Episcopus compertum habuit aliam in pluribus parochiis extare consuetudinem, solemnia nempe defunctorum suffragia adsignandi dominicis aliisque diebus festis, eaque peragendi, constituto tumulo in medio Ecclesiae ante Missam parochialem, quae canitur de Dominica vel de festo occurrente. Mordicus adhaeret populus huic consuetudini, ea praesertim de causa quia fideles et praecipue cantores diebus ferialibus haberi nequeunt.

Porro consuetudo auferri nequit, quin perturbationes oriantur, officia pro defunctis praetermittantur et gravia proinde damna parochiis obveniant. Haec consuetudo adeo inveterata est, ut quamvis E.mus Card. Archiep. Morozzo Episcopus Novariensis in Synodalibus Constitutionibus an. 1826 gravibus verbis eam eliminandam decreverit idemque obtinere conatus sit Episcopus Orator, adhuc perseveret.

Hinc quaeritur: an utraque consuetudo inveterata permitti vel saltem tolerari possit?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis liturgicae, rescribendum censuit:

Quod primam consuetudinem servetur de-

cretum *Utinen.* **n. 4005** diei 13 Ianuarii 1899 ad I et II (1).

Quod alteram; relate ad officium defunctorum permitti posse, nisi agatur de Dominicis et festis maioris solemnitatis: circa tumulum vero obstat Decretum *Montis Regalis* **n. 3201** diei 20 Martii 1869 ad VIII (2). Hinc paulatim et prudenter eliminandus est abusus. Atque ita rescripsit die 16 Februarii 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella *Pro-Datarius.*

L. ✠ S. *S. R. C. Pro-Praefectus.*

D. Panici *S. R. C. Secr.*

II.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Rev. Fr. Marianus Mendez, sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci qui Calendarium seu Di-

(1) « Dubium I. Utrum aqua baptismalis, Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes benedicenda sit in Ecclesiis tantum parochialibus, an etiam in filialibus quae sacrum Fontem legitime habent? Et quatenus *affirmative* ad secundam partem:

« Dubium II. Utrum sufficiat aquam benedicere, usque ad sanctorum oleorum infusionem exclusive in parochiali Ecclesia; et inde, aqua ad alias Ecclesias delata, in singulis Ecclesiis sanctorum oleorum infusionem peragere: an debeat integra in singulis Ecclesiis fieri benedictio?

« *Resp.* ad I et II. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, iuxta Rubricas et Decreta ».

(2) Dubium VIII. An fieri possit post Missam solemnem absolutio ad tumulum, relicta ex dispositione nostri fundatoris Archiep. Domini Hieronymi Venero in festo S. Hieronymi Doctoris, occurrente in die Dominica?

« *Resp.* ad *VIII. Negative*, et serventur Decreta ».

rectorium pro divino officio persolvendo in Provincia S. Gregorii Magni in Hispania munus conficiendi habet, ad pedes S. V. humiliter provolutus, quae sequuntur dubia solvenda reverenter exponit:

Pius Papa IX fel. rec. decreto *Ab expositis*, die 29 Aprilis 1858 edito, omnibus Religiosis minoriticae Familiae praecepit omnino conformari Calendario generali perpetuo typis mandato anno 1857, omissis aliis Dioecesis officiis praeter illa Patroni principalis loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae cathedralis, celebranda ritu a Rubricis Decretisque proRegularibus praescripto, necnon alia particularia officia a S. Sede praeceptive concessa ecclesiasticis utriusque cleri. Item, iuxta autores de Liturgia tractantes et decretum S. R. C. diei 28 Aprilis 1866 in *Patavina* (**3147**) ad IV, Regulares recitare tenentur de omnibus dioecesanis Festis,quae adnexam habent obligationem audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

Porro Fratres Minores Provinciae S. Gregorii Magni in Hispania iamdudum officium recitant Patroni principalis loci, cuius dies non est festivus pro populo, ritu duplici primae classis absque octava; verum, ex sententia eorumdem scriptorum et ex decretis S. R. C. uti num. **1095** die 28 Sept. 1158, officium Patroni Dioecesis recitari non licet illis in locis Patronum canonice electum habentibus. Quaeritur:

I. An praedicti Fratres Minores teneantur officium recitare Patroni Dioecesis, cuius dies

est de praecepto festivus in tota Dioecesi, ritu pro Regularibus praescripto duplicis 1ae classis sine octava ; vel id praetermittere debeant eo quod non sit expressum in citato decreto *Ab expositis*, et quia, sicut dictum est, iam officium recitant Patroni principalis loci ?

Insuper Religiosi supradictae Provinciae consuetudinem habent, ab immemorabili tempore, non recitandi officium Titularis Ecclesiae Cathedralis ; quaeritur :

II. An eiusmodi consuetudinem continuare valeant, vel potius debeant recitare officium Titularis Ecclesiae Cathedralis, ritu pro Regularibus praescripto, nempe duplici primae classis sine octava ?

Item : Rubricae Missalis et auctores de Liturgia pertractantes pro hora in qua Missa conventualis celebrari debeat praeficienda, non aperte exprimunt an praedicta Missa sequi debeat immediate post Horam canonicam assignatam ab ipsis Rubricis, vel si separari liceat enuntiatam Missam ab Hora canonica, ita ut inter Missam et Horam breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit. Hinc quaeritur :

III. Utrum Missa conventualis debeat celebrari immediate post Canonicam Horam a Rubrica et Decretis designatam ; vel eas separare liceat, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit ? Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur :

IV. Utrum idem sit tenendum de Missa solemni vel cantata, quae officio diei non est conformis, cum in Rubricis et Decretis praescribitur ut post aliquam Horam canonicam celebretur?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad IV. *Negative*, et celebretur post Nonam.

Atque ita rescripsit, die 9 aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella S. R. C. *Pro-Praef.*

L. ✠ S. D. Panici S. R. C. *Secret.*

III.

TIRASONEN.

Hodiernus Magister caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Tirasonensis nonnullos in eadem Ecclesia animadvertens inductos mores, Rubricis et S. R. C. Decretis minus conformes atque etiam contrarios, cupiensque scire quinam ex iis permitti possint, quinam sint eliminandi, insequentia dubia, annuente R.mo D. Episcopo dioecesano eidem S. R. C. resolvenda humiliter proposuit, nimirum:

I. In omnibus Missis solemnibus Corporale non explicatur a Diacono tempore praescripto in Ritu servando in celebratione Missae (Tit. VI, 7), sed a sacrista antequam Missa inchoëtur : an haec praxis possit sustineri ?

II. An possit servari consuetudo celebrandi Missas solemnes Feriarum Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, quarumdam de *Requiem* aliarumque per annum sine cerofera-riis, sine thurificatione, duobusque tantum cereis accensis in altari ?

III. Estne tolerandum quod Subdiaconus in praedictis Missis maneat cum Celebrante, et non incedat cum Diacono eique assistat in pulpito ubi est canendum Evangelium ?

IV. Ex praesumpto privilegio Canonicus celebrans, lecto Graduali seu Tractu, vadit ad scamnum ubi sedens et coopertus imponit incensum, dat benedictionem Diacono evangelium cantaturo, ibique manet quin legat evangelium usque dum Diaconus incipit cantum ipsius. Haec omnia possunt retineri ?

V. Poterit continuari praxis immemorabilis Cathedralis Ecclesiae Tirasonensis cuius titularis est B. V. Maria, nominandi ad litteram N. Orationis *A cunctis*, S. Attilanum patronum civitatis et Ss. Prudentium et Gaudiosum patronos aeque principales Dioecesis ?

VI. An sufficiat ut in quibusdam Missis de *Requiem*, anniversariis *late sumptis* quae in hac Cathedrali cum Diacono et Subdiacono cantan-

tur, Sequentia *Dies irae* legatur tantum a Celebrante, aut debeat etiam cantari a Choro?

VII. Utrum, attenta consuetudine, in Vesperis et Laudibus persolvendis Celebrans possit manere in habitu chorali usque ad Capitulum et tunc tantum assumere pluviale?

VIII. Estne permittendum quod dum quibusdam diebus canitur vespere Officium defunctorum in Choro, sedeat in scamno presbyterii Celebrans paratus Alba et Pluviali inter Diaconum et Subdiaconum sacris *indumentis*, uti ad Missam, etiam paratos?

IX. Cum organum alternatim pulsatur tam in officio divino quam in Missa non est cantor qui, ut statuit *Caerem. Episcoporum* lib. I cap. XXVIII, intelligibili voce pronuntiet quod per Organum figuratur cantari; sed unusquisque de Choro in Officio Divino, non vero in Missa, submissa voce dicit quae ad sonitum Organi omittuntur. Quid in posterum agendum?

Et S. R. Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Serventur Rubricae et Decreta.

Ad II. In Missis solemnibus cum Ministris paratis, *Negative*.

Ad III. Servetur *Caeremoniale Episcoporum* lib. II, cap. VIII, n. 45.

Ad IV. *Negative* et serventur Rubricae Missalis.

Ad V. *Affirmative* ex gratia in casu.

Ad VI. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad VII. *Negative* et servetur Caeremoniale Episcoporum.

Ad VIII. *Negative*.

Ad IX. Stetur Caeremoniali Episcoporum.

Atque ita rescripsit, die 2 Maii 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella *Pro-Datarius*.

L. ✠ S. S. R. C. *Pro-Praefectus*.

D. Panici *Secr.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

DE SEPULTURA CADAVERIS.

Cum Caroli cadaver ad coemeterium deferendum erat, satis est disceptatum inter Augustinum Parochum et Presbyterum illum, cui cadaveris comitandi commissa fuerat cura ; hic enim pedestrim ad coemeterium, ille vero in curru posse pergere aequum iudicabat, uti tamen factum est. In dicto autem coemeterio Cappella fruebatur Carolus gentilitia, in cuius sepulcro ipse humandus erat. Sed altera ibi quaestio mota est inter Caroli parentes et Sacerdotem circa sepulturae locum. Haec enim ab altari Cappellae vix duobus distabat cubitis, dum Sacerdos trium cubito-

rum a dicto altari distantiam, nisi ab illius gradibus, necessariam ex lege sustinebat. Disceptatio tandem sic absoluta fuit, ut ibi quidem sepeliretur cadaver, sed ea conditione, ut parentes defuncti promitterent, quod actu perfecerunt, nunquam se permissuros in eo altari Missae celebrationem, nisi postquam sepultura altero cubitu remota ab altari fuisset. Reliquis absolutis praescriptis ritibus, et hac illac pluribus mortuariis coronis super Cappellae parietibus appensis, discesserunt. *Quaeritur :*

1. *Quid circa delationem cadaverum ad coemeterium ferat antiquitas liturgica, et num Sacerdotis semper fuerit cadavera comitari, utriusque Ecclesiae latinae graecaeque disciplina inspecta ? Quidque de pergendi modo, pedestrim vel in curru, dicendum ?*

2. *Quid ex iure liturgico statuatur circa sepulcrorum distantiam ab altaribus, quaque de causa ? Et quid iudicandum de coronis mortuariis in parietibus Cappellae suspensis ?*

3. *Pro quo ratio pugnet inter disceptantes Augustinum et Presbyterum vicarium, inter hunc et Caroli parentes ?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Angeli Giovannelli, Pontif. Semin. Pii Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 25 Aprilis 1900; acta Epitome per R.mum Dom. Calcedonium Mancini, Academiae Moderatorem.

I. Quaeritur ab initio : Quid circa delationem cadaverum ad coemeterium ferat antiquitas liturgica ? Apud omnes civiles nationes, officia erga cadavera semper religione auspice peracta sunt : nullimode excogitari potest quin et apud Christianos similiter actum sit. Eiusmodi officia tres, ut ita dicam, phases habebant, nempe: 1. ritus antecedentes exequias, 2. delationem cadaveris, 3. exequias ipsas. Ritus antecedentes exequias ad haec fere semper reducebantur : lavare calida aqua cadaver, balsamis aliisque aromatibus perungere , iuxta hebraeorum morem , quod technico vocabulo dicebatur *curare ;* illud unica aut duplici mortuaria sindone involvere ; denique *componere*, collocare, videlicet, in aliqua speciali aula, ut plurimum in coenaculo, luminibus circumlucentibus, vigilantibus propinquis seu aliis, collato honore cantus psalmorum, et adhuc versus laetitiae *alleluia*, hoc autem quia christianorum funera nunquam secum tulerunt nimiae moestitiae signa.

Sequebatur delatio , post quam, cadaver ad sepulturae locum, nempe coemeterium aut Basilicam in ipso erectam, ponebatur, ubi postrema funebria religiose finem habebant. Aderat eo in loco, iuxta morem, Episcopus, qui nonnullas recitabat funebres preces, salutationem defuncto donabat extremam, et coram cadavere, imo interdum super ipsum cadaver, si agebatur de martyre, sacrosanctum celebrabat Mysterium. Pro eminentioribus viris *laudationem funebrem* reservabat. In *Actibus Apostolorum* memoria habetur duorum funerum : primum S. Stephani, alterum Tabitae. Illud ad Martyrum funebrium cathegoriam assignari posset, istud ad aliam communium defunctorum. Diximus nuper, inter ritus exequias antecedentes et exequias ipsas, interpositam fuisse cadaveris delationem; de antiquis ritibus eiusdem, iuxta opportunitatem, breviter disseremus. Opus est imprimis adnotasse, hos ritus comprehensos fuisse inter haec duo:

a loco videlicet unde *levabatur* cadaver, ad locum ubi *deponebatur*.

Quomodo deferebatur cadaver ? Deferebatur interdum ad scapulas, praesertim quando, fervente persecutione, delatio locum habere debebat nocturno tempore : alias, et de communi regula, feretrum componebatur. Notandum est feretrum (a *ferendo*) genericum esse vocabulum ; unde hac sub appellatione comprehenduntur *carrucae*, ad deferendum ad breviorem distantiam ; infimae qualitatis feretrum erat *sandapila*; communioris autem usus inter christianos erat, *lectica*, quae ad sacras asportandas Reliquias etiam inserviebat. Ita a S. Gregorio Nysseno accipimus, corpora Placillae Imperatricis et Pulcheriae (*Orat. in Plac. Imper.*; *Orat. in funus Pulch.*) delata fuisse super lectica : « Cum auro purpureaque veste velata Imperatrix in Urbem portaretur, lectica autem erat qua portabatur » — « Spectaculum omnibus propositus erat sacer ille flos (Pulcheria nempe) qui in aurea lectica (κλίνη) efferebatur ». Constantinopoli tres feretrorum diversae formae habebantur, nempe : *Studii*, *Stephani*, *et Maioris Ecclesiae*, *quod erat auro intextum*. Ab eodem S. Gregorio Nysseno docemur, lecticam splendidisse interdum *lapidum fulgore*.

Quis funus deducebat ? In Ecclesia orientali, ministerium huiusmodi coetus quidam personarum exercebat, qui diverso distinguebatur nomine : *sandapilarii*, *lecticarii*, *libitinarii*, *copiatae*, *decani*. Eorum institutio auctorem novit Constantinum Imperatorem. Is, sede Imperii Bisantium translata, apud eam Ecclesiam sodalitatem instituit 950 praefatarum personarum, ad deductionem funerum destinatarum. Earum officium fere idem erat, ac illud quod nobis ipsis cernentibus exercent Confraternitates, quando funus non deducitur curru, ut ait De Rossi (*Rom. Sotter.* III, 541). Baronius expresse ait, exinde originem duxisse Confraternitates a morte nuncupatas (Tom. 3, a. 336).

Confer et Lorin. (Cap. V, *Act. Apost.*). Constantinus Magnus huic collegio stipendium attribuit, cum privilegiis perplurimis et immunitate a vectigalibus; Imperatores Honorius et Theodosius praefatas dispositiones ratas habuerunt, serius vero numerus officinarum auctus est ab Imperatore Anastasio et a Iustiniano (*Nov. XLIII et LIX*). Confunduntur generatim lecticarii, libitinarii, copiatae, decani etc. Sed unusquisque coetus videtur distinctus fuisse, saltem ab initio. Sic lecticarii probabiliter fuere portitores; libitinarii apparatores funebris pompae, ea enim quae ad funebres pompas pertinebant vendebantur in templo deae Libitinae, unde christiana traditio tale respuit nomen; copiatae fossores, seu veri sepelitores (a κοπιάω - operor), hinc S. Epiphanius (*Comp. doctr.*) ait, quod non modo foveas parabant, sed et « mortuorum corpora abvolvebant et ad sepulturam adornabant: λέγονται κοπιαταὶ οἱ τὰ σώματα περιπλέξοντες τῶν καμωνένων ». decani, praefecti funeribus aut sepulturis. Attamen Romae officia necrophoria a *fossoribus* tenebantur, qui deductioni funerum, et coemeteriorum curae praeerant. Romana Ecclesia veluti sacrum reputans cadaver, vulgare nomen *vespillonis* a latinis usitatum repulerat, uti et aliud κοπιάται a graecis retentum; imo de fossoribus quasi quidam clerici minores effecti sunt, quemadmodum eruitur ex actibus quibus magistratus loci possessionem Ecclesiae Cyrtensi tradiderunt: ibi enim fossores post Subdiaconos nominantur. Ipsi clerici nonnunquam videntur ad delationem cadaverum adhibiti: ita S. Hieronymus (*De muliere septies icta*) ait: « Clerici, *quibus id officii erat*, cruentum linteo cadaver obvolvunt et fossam, humo lapidibus construentes, ex more tumulum parant ». Quando vero de Martyribus agebatur, aut etiam de valde celebribus personis, feretrum ab Episcopis deferebatur. Hinc S. Hieronymus (*in Epitaph. S. Paulae*) ait: « translata Episcoporum manibus et cervicibus feretro subiicientibus ».

Alias a Sacerdotibus: sic in vita S. Fulgentii *(Tom. I Surii)* legitur : « Mane, postquam multitudo maxima populorum, de locis finitimis ad exequias venit, Sacerdotum manibus ad Ecclesiam civitatis, quae *Secunda* dicitur, deportatus, sortitus est honorabile monumentum ». S. Macrina a fratre, (Episcopo Nysseno nempe) et ab Episcopo Arassio delata est; id eruitur ex eodem S. Gregorio Nysseno (*Vita Macrinae sororis)*, qui ita fatur : « Ego feretrum subiens , illum (Episcopum Arassium) advocavi ut alteram partem sustineret , posteriores vero feretri partes alii duo de clero insignes viri ». Saepe propinqui defuncti onus libenter sustinuere. De Philomatia matrona ex. gr. dicitur : « Sacerdotum manibus et propinquorum excepta , perpetuis sedibus, dormienti similior illata est (Sidonius *Lib. II, Ep. 8)*. S. Basilius a Clericis delatus est (S. Greg. Nazianz., *Or. in laud. S. Basil.)*.

Ex hucusque dictis facile eruitur, quatuor fere semper fuisse personas ad feretrum sustinendum adhibitas ; quod etiam ex scriptis S. Ambrosii resultat, qui, in commentario ad cap. IV Evangelii S. Lucae, ait, filium viduae, a D. N. resuscitatum, delatum fuisse *a quatuor portitoribus ;* ita et a verbis superius ex Nysseno citatis, in funere Macrinae. Nil tamen vetuit, quin et plures, rarius, adhibiti fuerint, sive ob maius feretri pondus, sive ad maiorem pompam. I. Gretser *(De funere Christ. l. 1.)* notat augmentum processisse a quatuor ad octo, exinde ad duodecim et ad sexdecim.

Quo tempore funus agebatur ? Tempore persecutionum, ducebatur noctu; tempore vero pacis et tranquillitatis pro Ecclesia, lucente die; primo in casu, ut quisque novit, absque ulla pompa, et sine psalmodia, in altero, magnam assumebat solemnitatem. Iulianus Apostata, sub mali ominis praetextu, vetuit Christianis mortuos sepelire diurno tempore, sed vera ratio, quae eum movebat, erat odium in pios ritus.

Quomodo autem cadavera super feretro componebantur ? Cooperiebantur interdum culcitra, alias detecta portabantur. Nyssenus scribit, cadaver Pulcheriae coopertum fuisse *aureis velamentis* (*Or. in fun. Pulch.*). Cadavera Romanorum Pontificum pretiosis dalmaticis vestiebantur, quas postea fideles, in minusculas redactas portiones, tamquam reliquias secum asportabant, et venerabantur. Sed S. Gregorius (*Lib. 4 Regist. Ep. 44*) ulterius huiusmodi rem vetuit sub excommunicationis poena. Corpus S. Basilii detectum fuit delatum (Greg. Naz. *in Or. S. Basil.*).

Dubitandum non est de psalmodiae usu in funere ducendo ; quinimo adnotasse iuvabit, psalmodiam a vigilia ad exequias protractam fuisse. *In Constitutione Apostolica (VI, 27)*, non modo praescribitur cantus psalmorum , sed et quidam versiculi citantur. S. Augustinus docet, in S. Monicae morte, psalmum 100 recitatum fuisse *(Confess. IX, 12)*. S. Ioannes Chrysostomus indicat ps. 22 et 31. Hic doctor addit, cantum in funeribus adhibitum esse, et ad mortuorum solamen, et ad fletum viventium impediendum (*Hom. 4 in Ep. ad Hebr.*); nimius enim fletus spem aeternae laetitiae obnubilat. De hac psalmodia verba faciunt et Concilium Bracharense I. (*C. 16, 17*) et Toletanum III (*Can. 22*). Ne psalmodia unquam omitteretur, Imperator Iustinianus (*Nov. LIX*) statuit nonnullos ad hoc deputatos, *Asceterios* vocatos, qui ex officio a maiore Ecclesia retribuebantur. Etiam inter mulieres *Asceteriae* vel *Canonicae* deputabantur, sed extraordinarie tantum (Gretser, *De fun. Christ. l. 2*); ipsae quoque retributionem accipiebant.

Populus ad funera, specie sumptuosiora, frequentissimus aderat, nec inordinatus, sed processionis morem tenens, testante S. Gregorio Nysseno : « ordine et certo agmine plebe disposita ». Ita et Corippus, in funere Iustiniani describendo, hos habet versus: « Hinc

laevitarum venerabilis ordo canentum. Virgineus tonat inde chorus, vox aethera pulsat ». Ita et alii permulti.

In delatione funeris solitum erat lumina accensa deferre, cereos, lampades, quae et in vigiliis locum habebant. Hic ritus antiquissimus est, uti observat Martène *(Rer. lit. Lib. 2)*. S. Ioannes Chrysostomus significationem ritus eiusmodi praebet *(Hom. 4 in Ep. ad Hebr.)*: « Nonne sicut athletas mortuos comitamur ? ». S. Hieronymus in funere Paulae inquit *Sacerdotes lampades cereosque praetulisse.* Alicubi et palmae circumferebantur (V. Palladium *in San. hist.*). De Cruce testimonium habemus Gregorii Turonensis in libro de Vita Patrum : thuribula et incensa describuntur in Actibus S. Petri Alexandrini, et a Corippo in funere Iustiniani.

Num Sacerdotis semper fuerit cadavera comitari, utriusque Ecclesiae latinae graecaeque disciplina inspecta ? Affirmative. Ratio, ut ita dicam, a priori a Baruffaldo suppeditatur quando ait : « Neque post mortem pia mater Ecclesia obliviscitur filiorum suorum, quos enutrivit . . . . » ; et aliunde, ut patet, quandam anomaliam commisisset Sacerdos, si cum homines ad sacrum fontem renatos Ecclesiae tradidisset, Eucharistia ceterisque charismatibus confortasset, post mortem oblitus fuisset, nec ad extremam sepulcri quietem, carorum more, defunctum comitatus fuisset. Et hoc eo magis quod Ecclesia, uti observat S. Augustinus (*Lib. de cura pro mortuis*), in cadaveribus, specialiter vero iustorum et fidelium, organa et vasa *quibus ad omnia opera bona sanctus usus est Spiritus* semper considerare solita fuit. Hinc Baruffaldus asserere non ambigit, hunc Ecclesiae affectum erga defunctos antiquissimi moris esse, *quippe vel ab ipsis Apostolis ; vel a primis Patribus, magna cum ratione isti ritus instituti fuerint.* Ex alia parte, a posteriori inquam, quod Clerus, magis minusque patenti forma, iuxta temporum adiuncta, partem in

funeribus ducendis suceperit, minime est dubitandum. Pro Ecclesia graeca testis est Chrysostomus, qui (*Hom. 70 ad pop. Ant.*) ait : « Quanam de causa, quaeso, vocas presbyteros et psallentes ? Nonne ut consolentur, nonne ut defunctum honorent ? » Nyssenus, in vita Macrinae sororis : « Quum frequens populus feretrum circumstaret . . . ex utraque parte autem praecedebat non exiguus diaconorum ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes accensos cereos manibus gestabant ». Pro Ecclesia latina S. Hieronymus, in funere S. Paulae, narrat: « Alios Episcopos lampades cereosque praetulisse, alios choros psallentium duxisse » (Cfr. Sidonium Apollin. de Philomatia matrona, S. Greg. Nyss. de Macrina, Nazianz. de S. Basilio etc.).

Quid de pergendi modo, pedestri, vel in curru dicendum ? Si factum inspicimus, dicendum est, curruum usum in casu, recentioris aevi invectum extare. Antiquitus in morem non fuit nisi sandapila vel lectica. Carrucae, vehiculi cuiusdam species, etsi usitatae, rarius tamen quam illae fuerunt adhibitae. Succedéntes antiquis fossoribus, Confraternitates mortis usum portatilis feretri excepere (De Rossi *Rom. Sotter. III. 541*). Temporis decursu, distantia coemeteriorum ab urbibus, hygienis dictamina, positivae auctoritatis dispositiones (v. gr. anno 1870, omnia Lombardiae municipia currus ad rem imposuerunt) currum funebrium usum determinarunt. Si inquiramus, quid de iure ? respondemus, S. Rituum Congregationem die 5 Martii 1870 Decretum emanasse, ad dubium a Brixiensi Episcopo propositum : « Num in funeribus ducendis tolerari queat usus currus, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad Ecclesiam et coemeterium », et respondisse : « Affirmative ». Par dedit responsum ad aliam quaestionem : « Num Parochus et clerus funus ducere possint sacris vestibus induti, erectaque Cruce (intellige ante currum) ». Ad alte-

ram secundi dubii partem vero « vel potius ad Ecclesiae ianuas feretrum excipere, ac post exequias iuxta Rituale Rom. ibidem persolutas, reddere debeant super curru ad Coemeterium vehendum ? » *Negative* respondit. Hinc concludendum : 1. Currus funebris usus, nisi iubeatur, tolerandus est. 2. Ubi viget consuetudo, clerus sacris indutus vestibus, ut de more, praecedere potest cum Cruce. 3. Comitari debet defunctum sic vectum, e domo ad Ecclesiam, et ab Ecclesia ad coemeterium, prout alias.

II. Secundo loco quaestio fit, quid ex iure liturgico statuatur circa sepulcrorum distantiam ab altaribus, quaque de causa ? Cautum semper fuit ab Ecclesia ut fidelium corpora nec subter, nec prope Altaria sepelirentur, nisi Martyrum fuissent. Et merito; cum enim antiquitus sic honorari Martyres coepissent, ut divina mysteria super eorum corpora celebrarentur, si permixta tumulata fuissent et simplicium fidelium corpora, una simul valde inconcinne accidere poterat, ut invenirenter simili honore donati et homines gloriosi, et vulgares, non modo, sed et nequam, probabiliter aeternaliter damnati. Aliunde vero in Ecclesiis sepelire, tunc tantum, ait Magnus Gregorius, prodest quando *gravia peccata non deprimunt (Lib. 4 Dial. c. 50)*. Martyrum corpora tantum subter altaria esse deponenda, veneranda cohonestat antiquitas. In liturgia apocalyptica, iterato mentio fit Altaris *(VI, 9; VIII, 3 ; IX, 13 ; XI, 1 ; XIV, 18)* : Cap. VI, 9, dicitur : « Vidi subter Altare animas interfectorum propter verbum Dei, etc. » ; indicium quod aut mos Altare Sacrificii erigendi super Martyrum reliquias iam vigebat, aut in Ecclesia militante quamcito introductum fuit, quod Ioannes in triumphanti contemplatus est. Testimonium ad hoc afferemus S. Hieronymi, qui Vigilantium Reliquias deridentem his verbis pugillat : « Male ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secun-

dum nos ossa veneranda, secundum vos vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitramur Altaria? (apud Catalan. *Pont. Rom. Tom. II, § 54*). Prudentius in hymno ad Virginem S. Eulaliam : « Sic venerarier ossa libet — Ossibus Altare et impositum — Illa Dei sita sub pedibus — Prospicit haec populosque mos — Carmine propitiata fovet ». Idem in fine hymni ad S. Hippolytum: « Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis — Propter ubi apposita est ara dicata Deo ». Idem S. Augustinus testatur in commentando capite VI Apocalypsis : « Videte autem quem locum Martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub Altari meruerunt *(Serm. XI De Sanctis)*. Ceterum, ex vetustate huius ritus, Card. Bona *(I Rer. liturgic.)* deducit usum constantissimum Ecclesiae, nullius Altaris dedicandi nisi, infra Martyrum Reliquiae includantur; imo Felix Papa I, solemniter sancivit, Sacram Synaxim, videlicet Sacrificium, tantummodo offerri super sepulcra aut memorias Martyrum (Bona, *l. c.*).

Sed nunc inquirere tempus est, quid ius liturgicum statuat circa distantiam sepulcrorum fidelium ab Altari. Rituale Rom. *(De exeq. 10)* ait tantummodo : « Cadavera autem *prope* Altaria non sepeliantur ». S. Rit. Congregatio rem penitius declaravit. Sed praestat ordinatim relativa Decreta proferre. Die 7 Octob. 1606 ad petitionem Episcopi Brictinorensis respondit, Ecclesias, subter quas sepulta defunctorum corpora extarent, consecrari posse, dummodo corpora non sint « sub Altare maiori, vel sub confessione uti Sanctorum Corpora et Reliquiae sacrae locari debent. Die 11 Iun. 1629, ad Episcopum Turonensem, qui licentiam requirebat ut celebrari valeret ad Altare *sub quo sepulta sunt cadavera defunctorum*, respondit: *Non posse*. Decreto d. d. 11 Iulii 1643 in *Calagurritana* in quo petebatur : « An liceat corpora defunctorum sepeliri prope Altaria et sub predella? » Re-

spondit, « Non licere, sed omnino esse amovenda et servandam dispositionem Sacrorum Canonum in cap. *Percipiendum*, 13, Quaest. 2, nec non Const. S. M. Pii Papae V in Bullario novo § 6, ». Die 9 Iunii 1657, rescripsit : *Nihil* ad quendam Antonium De Alyly, qui optabat, Vicarium Capitularem Tropien. cogi ad removendam suspensionem a celebratione Missarum ad Altare sub quo cadavera sepulta erant. Sub die 7 Iulii 1766 legitur : Sanctissimus, confirmando Decreta C. R. de non celebrando Sacr. Missae in Altari, sub quo existunt cadavera defunctorum, mandavit, Missas non esse celebrandas in Altari, donec sint sub eo, vel sub eius predella, sed exhumari debent iuxta Decr. 24 Iul. 1752 edit. a Benedicto XIV, et celebretur sub alio Altari. Tandem die 12 Ianuar. 1897, cum nonnulli Ecclesiarum Rectores dubium huiusmodi proposuissent S. Rit. Congregationi, seu potius hanc petitionem misissent, nempe: « Quaenam distantia intercedere debet inter altare et cadavera, quae in coemeteriis vel Ecclesiis sepulta sunt? » respondit, in *Romana* : « Cadavera ab Altari tribus cubitis distare debere ; et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis ; atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere. » S. Carolus Borromaeus *(Conc. Prov. Mediol. IV)* iam similiter edocebat : « Sepulcrale os a scabello, seu predella Altaris procul absit spatio cubitorum trium », sed differentia in hoc consistit, quod, mitiori interpretatione, S. R. Congregatio non a predella, sed ab ipso Altari edicit computandum. Ceterum si a predella metrum supputandum esset, pluries nullum spatium in Sacello pro sepultura relinqueretur.

Quid iudicandum de coronis mortuariis in parietibus Cappellae suspensis ? Occurrit Decretum S. R. Cong.nis datum sub die 22 Maii 1896, quo S. Congregatio, « super dubio, an deceat in parietibus Ecclesiae vel publici Oratorii suspendere coronas mor-

tuarias, ut inibi maneant ; ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit : *Negative*, atque ita rescripsit ». Sed hoc Decretum, attente notetur, veras Ecclesias et publica Oratoria tantummodo respicit ; unde in Sacellis semipublicis coemeteriorum non videtur urgendum, et reipsa praxis fere universalis contraria demonstratur.

III. Reponimus breviter, ex super expositis conclusiones trahentes, ad duplicem quaestionem, tertio loco in casu propositam. 1. Pro quo ratio pugnat inter disceptantes Augustinum et Presbyterum Vicarium? Disceptatum est an in curru pergere posset Sacerdos funus comitans ad coemeterium. Sed nullius momenti quaestio est, nam si, ex anterius dictis *(Q. II)* currus usus ad cadaver deferendum toleratur, consequenter, praecipue ubi coemeterium satis distat ab Ecclesia, etiam Sacerdotem curru vehi posse deducitur; nam quaenam plausibilis ratio doceret, incommodum itineris sustinendum esse, et sollicitiorem gradum equorum cohibendum ? Insuper notandum, quod pro delatione funeris ad coemeterium Rituale nequaquam praecipit psalmos aut preces multas, sed *tantum* antiphonam *In Paradisum*, quae brevi absolvitur, et cantari vel dici in casu valet antequam currus conscendatur. Ceterum hoc quoque in usum fere universalem inductum est. Videatur tamen nos limites nostrae quaestionis nolle pertransire, quia alia esse potest quaestio de curru a Sacerdote adhibendo in delatione defuncti e domo ad Ecclesiam. Notandum tamen volumus non probari mos currus funebris praecedentis seu primo gradientis , et currus Sacerdotis post sequentis, persaepe laicis et mulieribus interpositis quia semper Sacerdos *deducere* debet feretrum, quodcumque sit, non sequi.

2. Pro quo pugnat ratio, inter Presbyterum et Caroli parentes ? Legem Sacerdos optime noverat; et

eam urgere necessarium erat, ut partim fecit. Permissio sepeliendi cadaver hic et nunc contra legem, dependere potuit ex gravibus inconvenientibus alias nascituris ; unde facile excusabitur Sacerdos legem non adimplens, quia haec non requirit an Missa cito celebretur, sed supponit tantum, Altare ad hoc esse erectum, sed conditionem excipiens, pro futuro tempore acrificii.

De coronis in parietibus appensis satis dictum est in resp. ad II quam cfr.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Turonibus.* **De conclusione Orationis** *Deus refugium* **in precibus imperatis post Missam.** Folia quae circumferuntur, a quocumque proelo mandata fuerint, habent in clausula : **Per Christum,** licet initio Orationis nominata sit *Sancta* **Dei** *Genitrix.* Nonne, vi Rubricarum Missalis et Breviarii, dicendum est : **Per eumdem Christum ?**

Resp. Dicta Oratio *Deus, refugium* ab ipsa sua prima origine habuit, uti in corpore nominatam *Dei Genitricem*, sic in conclusione *Per Christum*, omisso verbo *eumdem*, ex Rubricis et more dicendo. Anno 1884, ex voluntate S. Pontificis Leonis Pp. XIII, praefatae post Missam preces cum eadem fere Oratione, quae ditionis tantum Pontificiae Ecclesias afficiebant, ad omnes Orbis extensae fuerunt Ecclesias. Interim advertentiae defectum , sicut post primam publicationem, ita post extensionem emendare aliquid molesti visum est. Eoque magis, quia contra morem quidem videbatur, sed severe loquendo non contra Ru-

bricas. Hae namque exigunt, tunc *per eumdem* esse in conclusione dicendum, quando in principio Orationis *fiat mentio Filii*. In casu vero, si *Filii* mentio facta fuerat, implicite tantum erat et generice per verbum *Dei*. Apprime intelligimus, rationem allatam haud facere satis, maxime authentica Rubricarum interpretatione perpensa, quae in Orationibus pluribus, post mentionem Genitricis *Dei* factam, habetur conclusio *per eumdem*. Ita ex. gr. concluditur Oratio (*inter diversas*) prima *Concede*, etc. altera *A cunctis*, nec non relativa huius Postcommunio, Oratio *Deus, qui de Beatae* in Missa *Rorate*, Postcommunio Missae votivae a Nativitate Domini ad Purificationem, aliaeque multae, plus minusve similes.

Quidquid tamen sit, hoc est factum, haec historia super praefata conclusione Orationis *Deus, refugium*. Sed notandum adm. Rev. consulenti est, hucusque nos locutos fuisse de praeteritis : in praesenti mutata res est. Duobus enim circiter abhinc mensibus novissimas vidimus tabellas, in quibus dictae preces leguntur impressae, et defectus emendatus. Hae autem primae tabellae prodierunt e Typographeo Pustet ; et indubie ex auctoritate S. R. Cong.nis recta in iis mutatio facta est. Sequitur, unumquemque Sacerdotem, etsi aliis tabellis utentem, ab alio nempe Typographeo editis, optime posse (quidni et debere) ? praefatam Orationem dicere cum conclusione *per eumdem*, atque ita perfecte adhaerere Rubricis.

Quinimo, addimus, alius naevus, si ita loqui fas sit, e praefata Oratione sublatus est. Omnes norunt, nomen S. Ioseph posse et inflecti et non inflecti, seu declinari et non declinari ; sed in Oratione *Deus, refugium* legebatur inflexum nomen S. Ioseph « *ac beato* **Iosepho** ». Cum autem hucusque in Orationibus liturgicis nunquam nomen S. Ioseph Sponsi Deiparae reperiatur inflexum, sed semper indeclinabile, sicque ab aliis Sanctis homonymis distin-

ctum, id quoque in hac Oratione S. R. C. servatum voluit: ut in novissima praefata editione posuerit: « *cum beato* **Ioseph** ». Hinc deinceps et in conclusione huiusce Orationis dicendum erit: **Per eumdem**: in corpore autem: **cum beato Ioseph.**

II. *Ex eodem loco.* **De officiis propriis Patronorum minus principalium quoad Regulares.** Turonibus proprium dioecesis concessum est *universo* clero. Hinc possunt ne Regulares proprium habentes kalendarium officia et Missas patronorum dioec. vel titularis Cathedralis sumere in proprio dioeceseos, licet aliae adsint in Missali aut Breviario Romano quo utuntur? Et quatenus negative. Possuntne aut debentne sumere ex proprio dioeceseos quando non adsunt in suo proprio Breviario? Hoc locum pro nobis habet in festo S. Gatiani patroni dioec. 16 Dec., S. Gregorii Turonensis, 16 Nov. nobis concessum sub ritu dupl., et B. Ioannae de Maillé, 27 Martii, pariter concessa sub ritu dupl. Possuntne pariter Regulares legere praefationem mortuorum propriam dioecesi et concessam cum Calendario *universo* clero?

Resp. Satis notum ponimus, Regulares proprio Calendario utentes, Patronum praecipuum loci in quo degunt, celebrare debere sub ritu dup. I. cl. sine octava (*Decr. Gen. 9 Iul. 1895, I, num. 3863*). Teneri eos pariter celebrare Titulum et Dedicationem Cathedralis Ecclesiae, illum sub ritu dupl. I cl. sine octava, istam vero sub ritu dup. II. cl. pariter sine octava (*Decr. Gen. cit. II, et IV*). Hoc autem significat, eos alia officia localia recitare non posse. Cum enim proprio gaudeant Calendario, huic stare ex generali lege tenentur. Quod ceterum ex alia peculiari lege servare debent. Nam de Religiosis *Ord. Min. de Observantia*, ad alios indubie extendendum, sequens habetur Decretum: « An dicti Religiosi praeter officia Patroni principalis loci et Titularis Ecclesiae Cathedralis (ad quae re-

citanda ipsos teneri iam declaratum est) **possint uti Calendario Dioecesano quoad reliqua officia,** quae in Cathedrali vel Civitate vel Dioecesi respective recitantur ». Cui petitioni responsum fuit : « **Regulares non posse uti Calendario Dioecesano** ; sed tantum teneri ad recitationem officii proprii Patroni principalis et Titularis Ecclesiae Cathedralis, nec non Protectoris Civitatis (*20 Mart. 1683, num.* **1708** (3019) *ad 1.* De Dedicatione autem non fit mentio, quia Decretum iuxta petitionem respicit Patronos tantum. Quod si **Proprium,** de quo in casu agitur, concessum sit *universo* Clero, ex eo non sequitur comprehendi Regulares, quia non possunt illud assumere, nisi specialiter nominentur, quod nunquam comprobatur, quando aliud illi **Proprium** possident, seu Calendarium proprium. Itaque officia propria Patronorum, quos minus principales supponimus, nequeunt Regulares e **Proprio** Dioecesis sumere ; sed si in proprio Calendario eadem officia habeant, uti in eo prostant, recitare debent, imo et diebus ibidem assignatis. Idem de Missis iudices.

Quod nihilominus dicimus de Patronis secundariis, applicari non debet ad Titulum Ecclesiae Cathedralis. Cum enim dicti Tituli festum teneantur agere Regulares, et praecise ratione Tituli, de hoc officium et Missam propriam, quae in Civitate recitantur, et ipsi recitare tenentur, iuxta Decretum mox relatum : « teneri ad recitationem officii **proprii** etc. », et eadem de causa eodem die, quo in Cathedrali Ecclesia recolitur. Idem sentias de officio proprio Patroni praecipui loci.

Hinc de Ss. Gatiano, nisi Patronus sit principalis, et Gregorio, ac de B. Ioanna agere officium Regulares nequeunt, nisi in proprio Calendario habeant, et tunc in die in illo statuta. Vix tamen innuendum, Regulares in aliena Ecclesia facientes Missam, ad illam teneri, quae illa in

Ecclesia dicitur, ut in Missali, ut si propria esset, eam legere tenerentur, aliam non posse.

Praefatio est pars Missae ; cumque proprias Dioecesis Missas, in propria saltem eorum Ecclesia, Regulares legere nequeant, palam sequitur, nec eos posse dicere hanc Praefationem Dioecesis propriam, in toto enim comprehenduntur et partes.

III. *Ex cod. loco.* **De festo Dedicationis Ecclesiae non propriae secundario.** Ex Indulto Cardinalis Caprara una eademque die in omnibus Ecclesiis vel consecratis vel non consecratis, debet fieri Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum in Gallia consecratarum, idque ritu 1.ae cl. cum octava.

Quaeritur post Decreta General. 3808-3881, utrum hoc anniversarium sit festum primarium pro Clero sive regulari sive saeculari addicto Ecclesiae de facto non consecratae, an potius habendum sit pro eis ut secundarium, iuxta § III. Decret. 3881 ?

Resp. Anniversarium Dedicationis **Ecclesiae propriae est festum primarium** ; si vero eiusmodi Anniversarium Dedicationis sit **Ecclesiae non propriae,** festum istud **secundarium** est. Hoc definitum habetur in Gen. Decreto : « Anniversarii Dedicationis Ecclesiae » 4 Febr. 1896, n. 3881 ad III. Circa Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum alicuius Dioecesis, Instituti, Regni, etc. idem, necessario sentiendum est. Quia celebrare Dedicationem omnium Ecclesiarum non significat Dedicationem omnium Ecclesiarum de facto recolere, sed unamquamque Ecclesiam eodem die, et sub eodem ritu, celebrare Dedicationem suam, si sit consecrata, Dedicationem Ecclesiae principalis loci, si tantum illa benedicta fuerit. Hinc Decretum Gen. n. 3863, III, hoc tantum dicit, ubi Dedicatio omnium Ecclesiarum indulta est : « Omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet , dictum festum semel cele-

brabunt sub ritu dup. I cl. cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit (*9 Iul. 1895*) ». Ex eo igitur, quod Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum alicubi celebretur, nulla in iure liturgico mutatio inducitur : adeo ut, sicut Ecclesia consecrata remanet consecrata, et benedicta remanet benedicta, ita in consecrata Ecclesia festum quod recolitur, **primarium** sit, in benedicta vero semper sit **secundarium**. Consequenter Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum in casu pro Clero, sive regulari sive saeculari, addicto Ecclesiae de facto non consecratae, uti **secundarium** haberi debet, haud vero uti **primarium**.

Haec nostra est sentiendi ratio, haud obstantibus aliquibus incommodis, quibus Calendariorum redactores subiiciuntur : quae si velint vitari, alius nobis non suppetit modus, quam recurrendi ad S. R. Tribunal. Ratio enim peculiaris privilegii pro Galliarum territorio, adeo nobis non videtur solida, ut exceptio fieri possit ac debeat.

IV. *E Regio Lepidi.* **De annulo non vetito pro privilegiatis in functionibus ecclesiasticis.** Ex pluribus Decretis constat, annulum a Sacerdotibus non posse generatim deferri dum celebrant ; sed ex aliquo Decreto habetur, illius delationem esse vetitam in **functionibus ecclesiasticis**. Nunc quaeritur quaenam sint dictae functiones ecclesiasticae ?

Resp. Annuli prohibitio Sacerdotibus in celebratione Missae, adeo perspicua est, ut discussioni, ex iure positivo, non sit obnoxia. Id nihilominus ut in memoriam Celebrantium redigatur, notamus annulum ferre prohibitum esse Clericis, iis exceptis, quibus competit ex officio dignitatis (*cap. 15, de vit. et honest. Clericor.*) Cum autem dignitatis officium exceptionem efformet, hinc facile abusus suborti fuere ; Canonici namque et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium inceperunt annulum deferre. A fortiori autem illum censuerunt gestare posse Protonotarii Apostolici ;

nec defuere Sacerdotes simplices, qui doctoris titulo decorabantur. Hinc S. R. C. plura evulgavit Decreta ad normam iuris, per quae praefatos Sacerdotes in officio continere sategit. Innuemus primum, quod est *Dubium*, d. d. 20 Nov. 1628, num. **483** (780) : alterum in *Boianen.* 22 Iun. 1630, n. **536** (863), tertium, quod prudentiae causa (1), expunctum fuit, hoc est *Dalmatiarum* d. d. 4 Aug. 1663 ad 11 n. **1275** (2241) : quartum, in *Beneventana* 13 Sept. 1670, num. **2514** ad 2, eadem de causa expunctum in novissima Collectione : quintum in *Hydruntina*, 11 Apr. 1840, n. **2805** (4882), et ultimum in una *Bahien. in Brasilia*, 23 Maii 1846 ad 5, n. 2907 (5035), et alia forte, quae nobis latent. Haec omnia idem vetitum praedicant, nunc partialiter, nunc generaliter, Sacerdotibus scilicet, etsi Canonici vel Dignitates sint Ecclesiae Cathedralis, Protonotarii Apostolici, doctorali laurea muniti etc. Namque illi « quibus competit ferre annulum ex officio dignitatis, sunt Episcopi, et Abbates quibus ius Pontificalium est concessum ». Ita Ferraris ad verb. *Annulus* : qui invocat Gonzalez in suprarelatum Caput 15 *de vita et honest. Clericor.*

His praeiactis, nunc animadvertendum est, omnia citata Decreta agere explicite de delatione annuli, non quibuscumque in temporum adiunctis, sed praecise **tempore Missae, quam celebrant :** uno excepto seu ultimo ex citatis, quod declarat, *Sacerdotes, qui gradus sunt assecuti in aliqua Academia vel Universitate*, posse deferre annulum, **praeterquam in functionibus ecclesiasticis.** Num ergo dicenda est doctoribus in dictis omnibus functionibus annuli delatio vetita, aliis vero, uti Protonotariis, Canonicis

(1) Dicebat enim : « de rigore uti non debent » ; ut quasi contrarium aliis videretur, quae annulum omnino interdicunt.

Ecclesiae Cathedralis, dignitatibus, illam esse vetitam in sola Missae celebratione?

Ita quidem, ex nostro sentiendi modo. Ratio est, quia **Clericis**, omnibus proinde, qui nec Episcopi sunt, neque Abbates usum Pontificalium habentes, annulum deferre prohibitum est ex iure, uti superius visum est. Sed eiusmodi inhibitio est prorsus generalis, adeo ut non tantum functiones ecclesiasticas respiciat; sed etiam quemvis ex civilibus actibus. Ratio enim inhibitionis est honestas et vita Clericorum, quae exigit ut ab omnibus saeculi pompis et vanitatibus illi abhorreant. Nemo autem non videt, id, non aliud, annuli delationem redolere, si ab aliqua peculiari ratione abstrahas. Posita ergo generali prohibitione, nunc ad privilegium deveniamus, quod seu **civile** esse potest, seu **ecclesiasticum**. Privilegium autem **civile** favet doctoratus gradu insignitis, sint laici, sint e Clero: **ecclesiasticum** favet aliquibus clericis in dignitate vel officio aliquo ecclesiastico constitutis. Iam nunc quosnam potest privilegium civile effectus parere in functionibus ecclesiasticis? Nullos, absolute nullos; cum Academia vel magnum aliquod Lycaeum, licet ecclesiasticum esse queat, quia ab Ecclesiasticis dirigitur, civilis per se est; et neque multum, neque parum, sed nihil respicere potest ad Ecclesiae functiones. Has namque Ecclesia ordinat ac moderatur, seu quoad ministros eas peragentes, seu quoad ritus et caeremonias quae in iisdem sunt exercendae, seu quoad habitus et insignia adhibenda a ministris. Ergo ius annuli gestandi pro doctoribus nullam cum functionibus Ecclesiasticis relationem dicit: adeo ut doctores ita inservire in dictis functionibus debeant, ac si doctores non essent. Hinc ipsum biretum doctorale, seu quatuor cum apicibus, cuius gestandi iure gaudent doctores in sacra Theologia, vel sacris Canonibus (quidni et a fortiori in disciplinis philosophicis vel in iure civili), in choro et processionibus est prohibitum,

unica de causa, **quia non est chorale indumentum** *(Venusina, 7 Dec. 1814, num.* **2877** (4991) *ad 1)*. Num doctoris annulum vis appellare aliquod ex sacris insignibus, quod gestari consequenter possit in ecclesiasticis functionibus? Quod si affirmative propositae petitioni, abre tamen, responderes, statim subiungeremus, opportuna quoque facultate te indigere ut illo utereris, non quidem a civili, sed ab ecclesiastica auctoritate accepta. Merito proinde cum cl. De Herdt concludendum est: « Licet Sacerdotibus saecularibus doctoris gradu insignitis annuli usus permittatur, non **tamen in functionibus ecclesiasticis** (*Prax. Capit. Cap. VII n. VI*) », secundum quod Decreto *Bahien. in Brasilia* statutum est.

Attamen longe aliud dicendum est de annuli privilegio, quod aliquibus e Clero ab auctoritate ecclesiastica conceditur. Ratio satis patet, quia illud non pro civilibus actibus, sed pro ecclesiasticis indulgetur a Summo Pontifice. Ergo deferri annulus potest a privilegiatis in omnibus ecclesiasticis functionibus, Missa excepta, utpote in hac pluries explicite prohibitum, uti abunde vidimus. Compendifacientes igitur omnia quae hucusque exposuimus, tenendum est, Canonicos et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, Protonotarios Apostolicos, saltem Titulares (1), in functionibus ecclesiasticis posse deferre annulum, non tamen in Missa: doctores vero dictum annulum deferre non posse, neque in Missa neque in quibusvis functionibus ecclesiasticis.

---

(1) De Protonotariis Apostolicis ad instar siluimus; sed quod ipsos spectat hoc dicendum: eos, si extra Urbem degunt, in sola Missa pontificali annulum deferre posse cum unica gemma tantum: si intra, cum ii pontificalem Missam agere nequeant, aliis pro privata privilegiis eos gaudere, sed ipsis annuli gestationem esse prohibitam (*Const. Pii Pp. IX*, **Apostolicae Sedis**, *num. XVI, XIX*).

Nunc ad petitionem super intelligentia functionum ecclesiasticarum, de qua tamen breviter disseremus, cum haud difficilis sit responsio. Communiter, impraesenti saltem, conveniunt periti omnes super distinctione et natura functionum, quae liturgicae dici debeant, et quae tantum ecclesiasticae. Functio **liturgica** illa dicitur sacra actio, quam praescribunt et moderantur codices liturgici: **ecclesiastica** vero est illa actio sacra, quam codices liturgici nec praescribunt nec moderantur. Utraque proinde functio, ut liturgica sit aut ecclesiastica, sacra esse debet; sed altera ab altera per praescriptionem vel non praescriptionem rituum ac caeremoniarum statutarum distinguitur. Hinc ex. gr. recitatio Rosarii B. M. Virginis sacra functio est, uti etiam Benedictio SS. Sacramenti, quae in paroeciis fit ad vesperum, certe sacra est; sed cum praescriptae non reperiantur in liturgicis codicibus, saltem quoad omnes singulasque partes, liturgicae appellari nequeunt, et dicuntur functiones ecclesiasticae. Missa, Vesperae, Matutinum, processiones etc. cum sint praescriptae in suis ritibus ac caeremoniis, liturgicae nuncupantur. Conventus autem Ecclesiasticorum pro Casuum resolutione: cum sacra appellari nulla ratione possit, neque liturgica est neque ecclesiastica. Exinde nullo labore de reliquis iudicabis.

V. *E Gallia*. **De ordinanda Missa in solemnitate translata et duplici I. cl. occurrentibus.** In ultimo Ephemeridum numero, dicitur in Missa solemnitatis translatae non fieri debere nisi commemoratio Dominicae, ubi non adest onus Missae conventualis (conf. pag. 228 et seq.). An haec regula sequenda sit etiam in casu, ubi fit solemnitas S. Ioannis Baptistae, Patroni principalis, in ipsa die 29 Iunii (quae festum habet Ss. Apostolorum) iuxta decretum *Valis Vidonis*, 20 Iunii 1899, sive ibi unicus sit Sacerdos, sive plures sint Missae dicendae? Brevi: quomodo illa die ordinanda et dicenda sit Missa?

Resp. In Decreto *Vallis Vidonis*, n. 4040, quaeritur. an et dignior solemnitas celebranda sit, simulque Officium dup. I. cl. occurrens faciendum, et minus digna solemnitas ut duplex I cl. fiat, alio transferenda; et respondetur: **affirmative**: quod in Gen. Decreto 3754, ad V, iam fuerat statutum. Porro « pro solemnitate quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in festo..., cum una tantum Oratione....: ubi tamen non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola com. Dominicae etc. (*Decr. cit. 3754 ad II*). Quod ergo *Ephemerides* loco citato dixerunt, ad apicem iuris est. Nunc quaeritur, num id pariter applicandum sit in casu ab adm. Rev. consulente propositum. Reponimus, certe in casu faciendum de translata solemnitate S. Ioannis Baptistae, cuius festum est dignius (1) Ss. Apostolis Petro et Paulo, quod propterea recolendum est quoad Officium, et quoad solemnitatem transferri debet (*Decr. cit. n. V*). Quid autem interest, unum tantum adesse Sacerdotem vel plures, unam tantum vel plures Missas dici? Decretum, haud istas ponit conditiones pro addenda vel omittenda Oratione Dominicae, sed tantum obligationem vel libertatem Missae conventualis. Hinc petimus: Adest ne obligatio Missae conventualis? Si adest, nulla fiat com. Dominicae, si vero non adest, tunc facienda est (*Decr. cit. n. II*); patet ergo quomodo Missa ordinanda.

Nota. Decreta duo, quae ab adm. Rev. consulente citata sunt, leguntur in III Volumine Collectionis novissimae, sub relativis numeris, ut supra in responsione.

---

(1) *Dignius* dicimus, non quatenus est Patronus, sed quatenus festum S. Io. Baptistae est solemnius, sicut festum Ss. Petri et Pauli, universalis Ecclesiae, praevalet tamen huic festo ratione dignitatis personalis.

VI. *E Sardinia.* **De choro Canonicorum assurgente et resalutante Celebrantem, a quo salutatur.** Sub fine Hymni angelici et Symboli Celebrans surgit cum ministris, et priusquam pergat ad altare chorum salutat: tenenturne Canonici assurgere cum Celebrante, eique discooperti et stantes salutationem reddere?

Resp. Affirmative, seu id agendum esset, inspecto iure. Si ante omnia, revera, consulamus Rubricam Missalis, facile perspicere est generalem legem, ex qua chorales **possunt** tantum sedere **quando Celebrans sedet**, et in aliis quibusdam Missae partibus, quas Rubrica enumerat; haud vero quando Celebrans surgit cum Ministris, multoque minus quando salutationem recipiunt (*Rubr. Gen. Tit. XVII, n. 7*). A qua si pergamus ad Caeremoniale Episcoporum, id ipsum resultat: « Quo (*hymno angelico*) finito, surgit Episcopus... surgentibus omnibus (*Lib. II, Cap. VIII, n. 39*) ». Quod, nemine peritorum contradicente, etiam expleto symboli cantu agendum est, surgente nempe Episcopo, omnibus in choro surgendum; quamvis minus explicite hic Caeremoniale se exprimat (*Loc. cit. num. 55*). Neque dicas, applicandam non esse Rubricam allatam, quae de Episcopo agit, quo surgente, omnibus Canonicis esse surgendum non discutitur. Nam in aliis Missis solemnibus, sive assistente Episcopo, sive absente, quas Caeremoniale per summa capita tractat, nil dicitur in oppositum: ut necessario ad normas remittat pro caeremoniis de quibus silet, ad Missam praefatam, servatis ritibus Sacerdotis propriis.

Aliunde, Celebrans in Missa solemni, quae Capitulorum propria est, partem principalem constituit, primamque personam repraesentat ratione dignitatis, adeo ut omnibus singulisque Canonicis praestet, eius ad minus inspecto ministerio. Quare ergo, illo assurgente, assurgere Canonici non deberent, et salutati salutationem, uti accipiunt non

reddere? Et dicimus *uti accipiunt;* quia Celebrans Canonicis dat salutationem aperto capite et stans; ut etiam detecti et stantes illum resalutare debeant Canonici, prout urbanitas ipsa demonstrat.

Praeterea exigit Caeremoniale Episcoporum, ut si Canonicus inchoato officio superveniat, salutare collegas debeat, a quibus surgentibus, detecto capite, resalutari debet. En verba: « Si... quispiam Canonicus superveniat, inchoato iam officio vel Missa..., salutat Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc et non prius **ei assurgentes et resalutantes** (*Lib. I, Cap. 18, n. 4*) ». Iam num, si Canonici collegam supervenientem tenentur assurgentes resalutare detecti, profecto ex urbanitate, ab hoc eodem urbanitatis actu reddendo Celebranti Canonico dispensari nequeunt collegae, cum Celebrans quid magis indubie sit, quam Canonicus superveniens.

Denique haec plurium observantiorum Ecclesiarum consuetudo est, et omni quidem commendatione dignissima utpote et legi respondens, et recto sensui liturgico, ipsique naturali urbanitati conformis. Hinc cl. De Herdt docet: « Ex laudabili ac fere universali consuetudine chorus.... assurgit quando a Celebrante salutatur... (*Prax. Pont. Lib. II, Cap. 9, n. 182, 5°*) ». Alibi autem notat: « Reverentia exhibenda est solemniter Celebranti in accessu ad eum, et recessu ab eo, et absente Episcopo, etiam cum transitur ante conspectum eius, dum sedet.... (*Lib. I, Cap. 18, n. 151*) ». Quibus in casibus Celebrans neque est detectus, neque stat; quanto magis ergo cum assurgit, et Canonicos post hymnum angelicum et Symbolum salutat Canonicos, ab his salutatio reddenda ?

Negative respondere cogimur, consuetudine plurium Ecclesiarum inspecta. Sicut Caeremoniale expresse notat, Canonicis esse surgendum ut salutationem reddant collegae, officio iam inchoato, supervenienti, et nihilo tamen

minus nullibi fere lex ista servatur, sed Canonici sola capitis detectione cum resalutant, ita eadem in pluribus Ecclesiis Capitularibus, Urbe nec quidem excepta, consuetudo invecta est, ut Canonici nec assurgant, cum in duobus praefatis casibus Celebrans surgit, neque etiam assurgant cum ab eodem Celebrante salutantur, sed tantum sedentes reddant salutationem.

Eiusmodi autem consuetudinem servari posse suadent sequentes rationes. *a*) Haud in una, sed pluribus in Ecclesiis intra Urbem et extra ipsa invaluit. *b*) Competens auctoritas, Romae saltem, videt et tacendo, nisi approbat, certe permittit. *c*) Absolute loquendo nequit appellari contraria aperte Rubricis, cum hae de casibus in dubio propositis taceant. *d*) Consuetudo satis est antiqua. *e*) Non afficit cultum, sed meram urbanitatem. Haec nostra sentiendi ratio.

VII. *E Belgio.* **De choro stante ad intonationem antiphonarum.** Dum antiphonae singulae intonantur debetne stare totus chorus ?

Resp. Caeremoniale Episcoporum, iuxta editionem ante Benedictum XIII sequenti se ratione exprimebat : « Cum intonatur antiphona . . . omnes alii Canonici ac etiam Beneficiali et Clerici assurgunt, praeter praedictos, qui Episcopo assistunt (*Lib. I. Cap. XVIII. n. IX*) ». Benedictus vero XIII iussit, ut post verbum *Clerici* adderetur « **ab utroque latere chori** ». Hinc scribit Catalanus (1) : « Cum haec verba *ab utroque latere* olim in Caeremoniali non legerentur, haec apud quosdam Rubricistas invaluerat explicatio, collaterales tantum Canonici intonantis antiphonam assurgere debere ; et talis erat praxis nonnullarum Ecclesiarum. Sed Benedictus XIII illa verba apponi iubens,

(1) *Catalanus* diximus ; sed ita revera non est, cum sit additamentum, sapiens tamen, Commentariis Catalani, quod addiunxit auctor alius in Parisiensi editione Caeremonialis an. 1850.

hunc sensum, et hanc praxim iam reprobavit (*Comment. in loc. cit.)* » Hinc quoque De Herdt scripsit : « Omnes... surgunt *ab utroque latere chori* ut in Caeremoniali iam emendato *Lib. I, Cap. 18, n. 9,* expresse praescribitur : ita ut opinio amplius admitti nequeat auctorum illorum, qui ante hanc correctionem scripserunt, et opinati sunt, tantum surgendum esse a parte, qua sedet Canonicus, qui antiphonam intonat (*Lib. II, Cap. 3, n. 43, lit. d*) ». Post tamen relata verba adiungit ex consuetudine posse unam tantum chori, in qua antiphona intonatur, partem assurgere, et ad rem Decretum citat in una *S. Marci* ad 2, 22 Mart. 1862.

Ex his certa illatio sequitur, non solum consuetudinem assurgendi ex una parte chori in qua intonatur antiphona, invaluisse ante Benedictum XIII, sed etiam fuisse retentam post addita verba superius relata. Cum nihilominus additio, post eius notitiam habitam, aliquam anxietatem ingereret, S. R. Cong.nem nonnullae Ecclesiae rogaverunt, quid esset agendum post invectam consuetudinem. Quid autem Sacrum Tribunal ? Per Decretum mox citatum respondere consuit : « Omnes debere surgere, praeter hebdomadarium paratum ». Haec responsio satis erat, ut lex Caeremonialis ad unguem servaretur. Nihilo tamen minus S. R. C., addere pro sua sapientia censuit sequentia verba : « **nisi adsit consuetudo, ut una pars tantum assurgat** ». Hoc autem Decretum servatum est in Collectione novissima, sub eadem, ut par erat, inscripta die, et sub num. antiquo (5318), novo, prout necessitas ferebat, adiuncto, hoc est **3110.** Neque id sufficit ; sed novum quoque, ad ius liturgicum hac super re confirmandum, Decretum prodiit, quod et novissima Collectio fert sub inscripta die 12 Iul. 1892, et sub num. **3781,** quod sic se habet : « I. Antiphonas in choro, nonnisi stando esse inchoandas a quibuscumque seu Beneficiatis, aut Mansio-

nariis, seu Canonicis. II. Si ab uno ex Canonicis intonantur, omnibus esse surgendum in choro praesentibus, hebdomadario excepto, si sit paratus; **vel ab una illius qui intonat parte, vel ab utraque iuxta Ecclesiarum consuetudinem.** III. Si vero antiphona ab uno ex Beneficiatis aut Mansionariis intonetur, omnes, Canonicis exceptis, surgere debere, vel ab una tantum parte, ut supra, vel ab utraque, prouti Ecclesiarum fert consuetudo. Atque ita servari mandavit ». Itaque certa atque indiscutibilis, post exposita, responsio ad propositum dubium haec est: Totus chorus **ab utroque latere** surgit ad intonationem antiphonae per Canonicum; si eiusmodi sit consuetudo: si vero consuetudo ferat ut totus chorus **ab una tantum latere** surgat in casu, servanda ea est. Totus chorus **ab utroque latere surgit,** Canonicis exceptis, ad intonationem antiphonae per Beneficiatum aut Mansionarium, si talis sit consuetudo: si vero consuetudo ferat, ut ad intonationem antiphonae per Beneficiatum aut Mansionarium totus chorus **ab uno tantum latere surgat,** Canonicis tamen exceptis, haec pariter servanda consuetudo est.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Turonibus.* Absolute loquendo, Presbyter preces post Missam imperatas recitans, manu aut manibus calicem tenens, nulli Rubricae opponitur, quod eius litteram spectat, quia nulla est ex Rubricis eiusmodi ritum, ad Missam non pertinentem, dirigens. At *a*) opponitur omnium Rubricarum

spiritui, qui dictum in Sacerdote, etsi post Missam, precandi modum reprobant. *b*) Adversatur bono exemplo, quod Celebrantes dare tenentur fidelibus adstantibus; quodnam enim efformari iudicium potest de eiusmodi precandi ratione, nisi Sacerdotem subito discessu premi? *c*) Devotioni contradicit, quae exigit ut Sacerdos iunctis manibus praefatas preces recitet, uti in similibus de more fit.

II. *Pro eod. loco.* Si in Vesperis solemnibus, Ministri duo assistant pluvialibus induti, et postea immediate danda sit benedictio solemnis, nullum dubium, eos assistere posse facienti officium Benedictionis ad altare: modo tamen alius minister praesto sit, cum nullus ex iis exponere aut deponere Ostensorium, possit uti infertur ex Decreto in *Portugallien.* 17 Sept. 1785 **2528** (4421) *ad 1.* Quinimo credimus, eos etiam teneri assistere; quid enim secus agerent, vel quare soli deberent in sacrarium reverti? Nullum autem cernitur inconveniens, per se saltem, ut Benedictioni assistant dalmaticis induti; sed tunc ad amictum et albam, et pro Diacono etiam stolam, induendum, necessario redire deberent in sacrarium una cum agente officium. Nam quod alii duo ministri dalmaticis induti e sacrario veniant et una cum pluvialistis inserviant in eadem functione, non probamus et risu dignum videtur. Dum autem ponitur incensum maiores ministri inservire debent, non alius Presbyter, quia domino inserviunt ministri maiores; quamquam et alius minister cotta indutus, stolaque deposita, adiuvare possit.

III. *Pro Regio Lepidi.* Ritus praescripti in Rituali Romano post reditum a sacro Viatico delato, simpliciores sunt, cum S. Codex praecipiat tantum versus aliquos et Orationem Sacramenti ac benedictionem cum pyxide. Verum si functio solemnior minus solemni subrogetur in casu, modo id sinant temporum locorumque adiuncta, non credimus posse merito censura notari. Honori enim maiorique gloriae vertit

almo Sacramento Expositio cum Ostensorio, quam simplex cum pyxide. Multis in Ecclesiis, Sacerdos reversus in Ecclesiam, canit *Tantum ergo*, aliquid adiiciens functioni in Rituali praescriptae: num censura notandus? Non credimus. Sic neque censura notandus, qui benedictioni cum pyxide solemnem cum Ostensorio sufficeret; legis enim, nisi litterae, certo spiritui satis inhaeret.

Nota. Decreta duo, quorum alterum **praescribit**, affirmatur, pro Canonico Parocho aut Poenitentiario indumenta canonicalia, ut distributionum fiat particeps, alterum **prohibet** stolam super indumenta Canonicalia in Sacramento poenitentiae administrando, faveat adm. Rev. consulens citare, ne tempus teramus.

IV. *Pro Hollandia*. Consuetudo, quam satis longaevam arbitramur, legendi pro festo S. Blasii Titularis lectionem 4am propriam ut in Breviario, 5am *Principes*, 6am *Vere*, servari optime potest, cum legitime invecta iure supponi possit, nullique Rubricae opposita: quamvis, re in se spectata, melius applicari possent 1 e 2 ex lectionibus de Comm. primo loco positis, videlicet *Triumphalis*, et *Coronata*. Quod vero pertinet octavam diem, lex est Rubricae gen. (*Tit. VII, n. 4*), praeter lectiones primi Nocturni, quae sunt de Scriptura occurrente, *omnia ut in die festi* dicenda esse sive propriae sive communes sint lectiones tunc recitatae; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Si nihilominus aliae peroptantur, facile haberi possunt, vel eas a S. R. Cong.ne postulando, vel ex Octavario Romano accipiendo. Idem dicas de lectionibus III Nocturni; lex enim Rubricae apprime sciebat, alias esse lectiones in Breviario, in quas commutari poterant quae die festo fuere lectae, et tamen de his siluit.

V. *Pro Gallia*. 1. Commemorationes ad officium pertinentes sunt illae, quae pertinent ad officium, quod aut factum est, aut fieri debet die sequenti. Consequenter com-

memoratio officii simplificati, quod est omittendum, ad officium pertinere, diei scilicet praecedentis vel sequentis, nunquam potest.

2. Decr. Gen. 4043, nonnisi de suffragio agit veri Tituli, qui Ecclesiis tantum proprie competit. Quod si Oratoria semipublica, uti publica, vero gaudeant Titulo, propter consecrationem aut solemnem benedictionem, ea Ecclesiis hoc sub respectu aequiparantur, eamdemque sequuntur legem. Adm. Rev. Consulens legat Decretum aliud Gen. 4025 ad V, videbitque non dari locum suae petitioni.

3. Commemoratio *officii currentis*, et com. *ad officium pertinens* eumdem habent sensum. Officium, ad Vesperas, sive praecedat, sive sequatur, dicitur *concurrens*, *currens*, *diei*, licet de alterutro sola com. fiat; quia semper verum est, hanc ad illud pertinere, etsi praecedens non habeat psalmos, aut sequens Vesperas a Capitulo, cum iure ad illos et istas gaudeat, quo simplificatum destituitur.

VI. *Pro Hispania*. 1. Caeremonialis Episcoporum verba sunt: « Canonici parati, stantes in suis locis faciunt Confessionem bini; similiter alii, si qui erunt parati, alias genuflexi etc. (*Lib. 2, Cap. 8, n. 32*) ». Nemo autem nescit ex modo se exprimendi, seu Caeremonialis seu Missalis, sub nomine Confessionis venire totam illam partem Missae quae dicitur in plano altaris. Cum itaque et Canonici facere Confessionem debeant, ipsis dicenda sunt ea omnia alternatim, quae alternatim pariter dicuntur ab Episcopo suisque ministris, et a fortiori signum crucis ab initio agendum. Hinc cl. De Herdt de Confessione chori tractans, sive celebrante sive assistente sive absente Episcopo, id semper faciendum docet: « Qui faciunt Confessionem incipiunt a signo crucis (*Prax Pontif. Lib. II, cap. IX, n. 9, 111*) ». Similiter: « Cum Celebrans Missam incipiens se signat, omnes etiam se signant (*Loc. cit. n. 183*) ». Ce-

terum nonne et quivis vel mediocris christianus idem agit, dum dicit: « In nomine Patris etc.? »

2. Ad primam, in solemniori Missa, incensationem altaris stat chorus, non sedet. Hinc Martinucci: « Quum Celebrans ascenderit altare, consurget (*Chorus*), et **stabit** quoad ipse Celebrans cum ministris recitaverit **Kyrie eleison** (*Lib. I, Cap. III, 4, n. 58*) ». In quo periti omnes conveniunt, cum Rubrica Missalis tempus dictae thurificationis non recenseat inter illa, in quibus chorus sedere potest (*Rubr. Gen. Tit. XVII, n. 7*).

3. Communis est Liturgicorum doctrina, Ecclesiarumque praxis, ut acolythi toto tempore Missae solemnis, nisi quid agere debeant, apud abacum stent aut genuflexi maneant, sedeant vero nunquam. Quae doctrina et praxis Caeremoniali fortasse innititur, quod de acolythis ita generaliter loquitur: « Acolythi... eundo, stando et redeundo in omnibus actibus inter seipsos et cum aliis ministris se conforment (*Lib. I, Cap. 11, n. 8*) ». Ubi vides de sedendo in lege verbum non fieri; nec deinceps alibi de quacumque sessione in Caeremoniali fit mentio. Quod vero Vesperas solemnes attinet, et peritorum doctrina et Ecclesiarum praxis est, ut acolythi psalmorum tempore **se choro conforment**, proindeque sedeant cum choralibus. Ratio diversitatis utriusque casus est, quia tempore psalmorum, nihil agere prorsus debent: in illis ergo decantandis cum choralibus se conforment: dum in Missa id non comprobatur, quia et ante ad *Gloria* et ad Symbolum ipsis aliquid agendum est circa sacros ministros; stent ergo ad abacum, sedi ministrorum proximius. Haec quidem sententia apparet severa, sed legi conformis, ut vix aliqua fieri possit exceptio, si musica nimis in longum abiret, quod ceterum non deberet comprobari.

Indumenta Liturgica in Ecclesia Latina

Commentaria critico-historica.

(*Cont. cfr. n. 6 pag. 384*).

9. Saeculo IV nonnulla testimonia circa usum liturgicum albae habemus. Paulinus, episcopus Tyrensis, in oratione habita (an. 315) pro templi dedicatione suae civitatis ita incipit : « Amici et Sacerdotes Dei, qui ἁγιων ποδήρη induti estis (1) ». S. Hieronymus adversus Pelagianos scribit : « Quae sunt rogo inimicitiae contra Deum, si tunicam habuero mundiorem ? Si episcopus, presbyter, diaconus et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacramentorum candida veste processerit ? (2) ». Quae verba magis explicantur in epistola eiusdem ad Heliodorum. Iuxta sanctum Doctorem Nepotianus ante mortem ita loquitur : « Quis crederet in tali illum (Nepotianum) tempore, nostrae necessitatis recordari et luctante anima, studiorum scire dulcedinem ? Apprehensa avunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua utebar in ministerio Christi, mitte dulcissimo mihi (Hieronymo), aetate patri, fratri collegio et quidquid a te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas (3) ».

Item auctor Homiliarum in Matthaeum, sub nomine S. Ioannis Chrysostomi (Homilia 83 cap. 6), ita sacros ministros admonet : « haec est dignitas vestra, haec stabili-

(1) **Eusebius,** *Historia Ecclesiastica, Lib. X, cap. IV.*
(2) *Dialog. adversus Pelagianos, lib. I, cap. 29.*
(3) *Epist. ad Heliodorum, num. 13.*

tas vestra, haec corona, non ut alba splendenteque tunica induti per ecclesiam circumeatis ».

10. Pro Galliarum Ecclesia aliqua documenta adsunt de usu albae in divino servitio fidem facientia. Sulpitius Severus narrat quod divus Martinus ad altare accedebat *tunica et amphilabo* (planeta) *indutus*. S. Gregorius Turonensis scribit quod in dedicatione cuiusdam ecclesiae ministri apparuerunt *in vestibus albis* : « Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus, et civium honoratorum ordo praeclarus (1) ». Et in *Historia Francorum* narrat quod in quodam loco, Episcopo veniente ad Ecclesiam, archidiaconus, qui fur erat, *alba* indutus eum expectabat : « Die autem sancto Natalitii, Episcopo in Ecclesia adveniente, archidiaconus indutus alba, Episcopum, ut mos est, invitans ad altare debere procedere . . . (2) ». In vita S. Caesarii Arelatensis episcopi item legitur quod ipse quadam die pauperi eleemosynam petenti dedit « casulam qua in processione utebatur et *albam* paschalem », ut illas venundans, argentum, quo vitam sustentaret, perciperet. Synodus vero Narbonensis anno 589 celebrata in Can. XII, haec habet : « Haec maxime pro Dei timore et modo disciplinae canonicae elegimus custodienda vel tenenda, ut dum Missa celebratur nullus presbyter, aut diaconus, absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur egredi de altario audeat. Nec diaconus aut subdiaconus certe, vel lector, antequam Missa consummetur *alba* se praesumat exuere . . . (3) ». Etiam isto in tempore aderant sacri ministri, quibus magis cordi erat domos circuire otiose et verbose, quam in Ecclesia Dei conversari !

(1) *De gloria confessorum cap. 20.*
(2) *Historia Francorum, lib. IV, cap. 38.*
(3) **Labbé**, *Collectio Conciliorum. Tom. V.*

11. Pro Hispanica Ecclesia concilium II Bragarense (an. 563) in Canone 9 statuit : « Placuit, ut quia in aliquantis huius provinciae ecclesiis diaconi absconsis infra *tunicam* utuntur orariis, ita ut nihil differre a Subdiacono videantur, de cetero superposito scapulae (sicut decet) utantur orario ». Et Can. 11 : « Placuit, ut lectores in ecclesia in habitu saeculari ornati non psallant (1) ». Notare tamen cogimur tunicam, de qua in Can. 9, posse indicare dalmaticam. Dicitur enim quod Diaconi « absconsis infra tunicam utuntur orariis », idest stolis; sed stola subtus dalmaticam non subtus albam gestabatur. Adde, in Concilio Toletano IV (can. 28, quod supra in nota ad num. 6 retulimus) pariter loqui de tunica, sive alba ; sed, uti ibi innuimus, haec alba est signum proprium diaconi ; quod intelligi nequit de tunica talari. Idcirco etiam Canonem 9 Bragarensis concilii credimus loqui de dalmatica, non de alba. Aliquid erui potest ex canone 11 pro albae usu in Hispania ; nam si lectores in habitu saeculari ornati psallere non debent, aliquod indumentum speciale induere debent. Aliunde autem vidimus (supra num. 3) saec. IX etiam lectores albam gestasse; idcirco dici potest etiam in Hispanica ecclesia usum albae ignotum non fuisse. Quod magis probatur ex verbis S. Isidori ; ait enim in *Lib. 19 Originum*, *cap.* 18 : « poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori adstricta usque ad pedes descendens. Haec vulgo *Camisia* vocatur ». Et cap. 19 : « Camisias vocamus, quod in his dormimus in Camis, idest in stratis nostris (2) ».

12. In Ecclesia Africana Concilium Carthaginense IV (an. 398) statuit : « Can. 41 : diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis alba utatur (3) ».

(1) *ibid.*

(2) **Bona**, *l. c., lib. I. cap. XXIV, num. 4.*

(3) **Labbé**, *op. c., Tom. II.*

13. Pro Ecclesia Hibernica testimonium magni momenti habetur in Missali saeculi VII, vulgo *Stowe Missal*, in quo legitur oratio, quam sacerdos ante Missam dicit, ut sequitur : « Rogo te, Deus Sabaoth, altissime sancte Pater, ut me tunica castitatis digneris accingere et meos lumbos baltheo tui amoris ambire etc. ». Ex his verbis deducitur quod in Ecclesia Hibernica, quae ex Romana directe dependebat atque ab ea leges accipiebat, alba sacerdos utebatur eamque circa lumbos stringebat.

14. Pro Ecclesia Romana denique testimonium habetur in *Vita Silvestri*, circa saeculum VI scripta. Ibi etenim narratur quod, huius pontificis tempore, Romam petiit ex Pamphilia Episcopus quidam, Euphrosini nomine, atque in celebratione divini mysterii induit *colobium*, idest tunicam largam absque manicis, qua usus fuerat S. Iacobus Apostolus. Cum haec vidisset Silvester et ipse tunc cum suis presbyteris uti coepit colobiis in celebratione divinorum mysteriorum. Hic mos aliquamdiu perduravit; sed postea nuditas brachiorum improbata fuit, idcirco *colobia* cum dalmaticis permutata fuere : « Visum est enim melius huic proposito convenire quod accuratius magis aspectibus placere valeat populorum (1) ». Haec vita sub aspectu historico nullam meretur fidem, cum nihil aliud sit quam falsitatum contextus ; sed ex illa erui potest saec. VI Romae in usu fuisse tunicam talarem (2). Tes-

(1) **Duchesne**, *Liber Pontificalis*, *I*, *189*.

(2) In libro *de Divinis officiis*, magno Alchuino adscripto, sed falso, nam postea exaratus fuit, ad caput 38 legitur : « Tunica (sacerdotis Veteris legis) erat sine manicis ad colobiorum similitudinem, et ideo unde manus educerentur, aperta erat. Pro tunica hyacinthina nostri Pontifices *primo* colobiis utebantur. Est autem colobium vestis sine manicis » (**Alchuini** *Opera omnia*, pag. 1086. Parisiis 1617). Quae verba videntur confirmare quod auctor *Vitae Silvestri* de colobiis scribit.

sellata opera, vulgo *musaici*, quae Ravennae et Romae adhuc asservantur quaeque ad saec. VI et VII pertinent, nobis repraesentant sacros ministros alba talari indutos. Videri potest in P. Grisar Analectis reproductionem tessellatorum operum quae in Oratorio S. Venantii in Baptisterio Lateranensi adservantur. Ibi adspicitur figura S. Anastasii, qui tunica discincta atque ad pedes usque pertingente, indutus est (1). Tandem in Ordine Romano primo legitur : « Et ceteri Subdiaconi. . . . accipiunt ad induendum pontificem (vestimenta), alius . . . . *lineam* . . . (2) ».

15. Ex iis quae breviori calamo diximus satis patet a saec. saltem IV ad IX in sacra liturgia albam adhibitam fuisse ; quamvis asserere non possimus hoc indumentum habuisse characterem stricte liturgicum, multoque minus eiusdem fuisse formae ac albae saeculi IX. Tunica talaris, ut vidimus, indumentum commune erat, idcirco etiam sacrorum ministrorum, qui non tantum in communi usu, sed etiam in liturgicis actionibus eam induerunt. Plures mutationes passa est ; quando vero eius forma ad formam tunicae talaris cum manicis strictis pervenit, tunc, forsan, tamquam indumentum stricte liturgicum receptum fuit (3). Unum certissimum est nempe tunicam talarem

(1) *Analecta Romana, dissert. XII, num. 5.*

(2) **Grisar,** *op. c. dissert. IV, num. 3.*

(3) Haec mihi videtur sententia P. Grisar. Loquens enim de indumentis liturgicis ut in dicto tessellato opere Oratorii S. Venantii ad saec. VII pertinente scribit : « Io m' inchino a credere che almeno tutto quanto il vestiario clericale effigiato sul nostro musaico, sia già stato in quel tempo del secolo VII cosa di sagrestia, vuol dire vestito separato ad uso dell'altare, quantunque sia grandissima ancora la somiglianza, anzi vi sia eguaglianza in molte parti, coll' uso delle vesti di tutto il mondo romano d' allora ». *L. c. n. 4* (in fine).

sive albam originem suam duxisse ex tunica talari et manicata, quam Romani gestabant. Ideirco iuste cum Duchesne concludi potest : « le costume du clergé romain était absolument identique au costume civil des personnes de quelque situation . . . La tunique inférieure est devenue l' *aube*, d' où sont dérivés, par diverses modification, le rochet des chanoines et le surplis ; ces vêtements peuvent être portés par des clercs des divers ordres (1) ». Et cum Grisar : « Oggidì i ministri sacri hanno tutto il loro parato in sagrestia, e cominciano ivi a vestirsi coll' amitto e col camice *(alba)* che mettono sopra la veste talare comune prima degli altri abiti sacri. Ma nessuna informazione sicura abbiamo, per fermarci in questo esempio, se nel secolo settimo (2) i ministri nel vestirsi si abbiano lasciato addosso come sottoveste la comune tunica o dalmatica, o ne abbiano prese delle altre ; di amitto e di camice non sappiamo nulla dai monumenti o dai testi (3) ».

(Continuab.) I. B. A. P. C. M.

(1) *Origines du culte chrétien, chap. XI, num. 1.*
(2) Multoque minus in saeculis praecedentibus.
(3) Op. cit. *Dissert. XII, num. 4* (sub fine).

ALLELUIA

SPECIMEN

Biblicum, historicum, liturgicum.

(Cont. vid. n. 5 an. praes. pag. 395).

Vidimus canticum Alleluia maius et minus, illud paschalis temporis, hoc aliarum Dominicarum anni fuisse proprium. *Alleluia* minus ex duplici *Alleluia* constituitur, una cum versu alteroque *Alleluia* finali. Sint duo exempla : 1. « *Alleluia alleluia.* Vers. Ps. 9. Deus qui sedes super thronum, et iudicas aequitatem : esto refugium pauperum in tribulatione. *Alleluia* (Dom. IV post Pent.) ». 2. « *Alleluia, alleluia.* Ps. 46. Omnes gentes plaudite manibus : iubilate Deo in voce exultationis. *Alleluia* (Dom. VII post Pent.) ». Ita Alleluia tamquam coronides Versum adornat, eamdemque melodiam ter continet : ut Liturgiae periti mediae aetatis ut plurimum de uno tantum *Alleluia* verba faciant.

Ex adverso maius *Alleluia*, temporis paschalis proprium, duplici *Alleluia* constat, sed alterum ab altero melodia ac Modo diversis gaudet, quae neumatibus ac bino versu ditantur. Ante primum Versum bis *Alleluia* canitur, semelque neuma : ante alterum vero aliud canitur *Alleluia* simul cum neumate, et dicto Versu, alterum *Alleluia* semel repetitur, suo itidem cum neumate (1). Sit pro exemplo *Alleluia* Dominicae III post Pascha. « *Alleluia, Alleluia.* Vers. Ps. 110: Redemptionem misit Dominus populo suo ». *Alleluia, Alleluia.*

(1) Thalhofer, *Handbuch.* l. c.

Luc. 24 : Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam. *Alleluia* ».

Duo *Alleluia* quod melodiam Modumque attinet discriminantur inter se. Primum ad secundum Modum pertinet, alterum ad Modum quartum. Ut autem splendidum huiusce duplicis *Alleluia* ornatum intelligas, satis erit tibi animadvertere, postremum ipsorum ex septuaginta ac duabus notis componi, iuxta Dom Potier editionem.

Alleluia paschalis natura exposita, addas oportet, *Alleluia* aliis quoque anni temporibus, magis tamen circumscripta ratione, habere locum, iis tantum exceptis, quae ab Ecclesia moestitiae et poenitentiae dicata fuere. Dominicus dies, in Liturgia, totius est hebdomadae quasi typus ; est enim antonomastice dies Domini, quippe qui illius Resurrectionis memoriam exhibet, ut ab antiquis Patribus nuncupatus fuerit : ἡμέρα κυριακή. Eapropter licet paschalis solemnitatis splendorem nequaquam attingat, illius velut imaginem refert. Est proinde proprius dies hymni *Te Deum*, hymni angelici, et *Alleluia*. Eadem ferme ratione, qua cum dominicae resurrectionis memoria resurrectionis quoque nostrae recordatio nectitur, dies eiusmodi est proprius benedictionis et aspersionis lustralis aquae, nec non psalmorum *Confitemini* et *In exitu*, quos superius vidimus solemnitatis paschalis esse proprios apud populum Domini. Ita canticum *Alleluia* ad multam protenditur liturgici anni partem ; quamvis, praesenti disciplina inspecta, quam plus minusve ad magni Gregorii aetatem ascendere conspeximus, poenitentiae tempus sit excipiendum. Generalis est norma, ex qua hoc in tempore *Alleluia* cantus abrumpitur. « Tristitiae tempus exigit, cum Ruperto Tuitiensi superius vidimus, ut *Alleluia*, quod laetantium carmen est, intermitteretur ».

Quinimmo et aliam exceptionem ponamus oportet. *Adventus* et ipse tempus est poenitentiae, quod nihilominus haud potest cum Quadragesimali tempore confundi. Peculiaris est

indolis, hoc est laetitiae dolorisque particeps : « Adventus partim est laetitiae, Rodulphus Tungrensis scriptum reliquit, quia *Alleluia* dicitur, et cantus in iucunditate cantatur: partim tristitiae, quia *Te Deum*, *Gloria in excelsis*, et *Ite Missa est* reticentur ». Expectationis est tempus et spei, haec autem plenitudinem gaudii respuunt, utpote quam in sola optati gaudii possessione consequimur : « Quamvis cum gaudio boni servi spectent adventum Domini sui, tamen maximum gaudium recolunt in praesentia eius ». Amalarius scribit (1).

Generatim tamen norma praevaluit, ex qua diebus verae poenitentiae cantus *Alleluia* haud locum haberet. Ita ex. gr. Concilium IV. Toletanum (*Can. XI*) *Alleluia* canticum inhibet pro novi anni Calendis ; quod fideles hac die ieiunare solemne habuerint ad festa improbanda, quibus Ethnici eumdem diem recolebant. Austerioris vero poenitentiae tempus est, quod a Septuagesimae Dominica ad Pascham usque decurrit; in eo enim *Alleluia* prorsus excluditur. Mediae aetatis Liturgici apprime conveniunt, asserentes tempus istud Hebraeorum in Babilonia captivitatem significare. Quemadmodum enim illi a cytharae sonitu cessabant quam appendebant ad salices apud Euphratem, ita Christiani a festivo *Alleluia* cantu abstinebant. Neque exceptionem patitur Dominica, quae *Laetare* vel *mediana* nuncupatur, in qua videtur Ecclesia aliquantulam laetitiae effusionem ad breve tempus admittere : ut levitae gaudii paramenta induant, rosaceus sit color, altaria ornentur floribus, organa pulsentur, et Pontifex auream rosam solemni benedictione donet. Hisce haud obstantibus, *Alleluia* silet.

A Sabbato ante Dominicam Septuagesimae intermittitur *Alleluia* ; utque illi quasi dicam dicatur *vale*, *Benedicamus Domino* ad Vesperas iterato *Alleluia* concinitur. Immo aetate media, ut extrema haec salutatio perfectius exprimeretur, con-

(1) De Offic. ecclesiast. Lib. IV, Cap. 30.

suetudo alicubi vigebat eam cum *officio alleluiatico* celebrandi, quod Vesperas, Matutinum et Laudes complectebatur, *Alleluia* vero innumerabiliter cantores ingeminabant. Gratum sit lectoribus exemplum sequens :

Alleluia dulce carmen,
Vox perennis gaudii,
Alleluia laus suavis
Et choris coelestibus,
Quam canunt Dei manentes
In domo per saecula.

Alleluia laeta mater
Concivis Ierusalem,
Alleluia vox tuorum
Civium gaudentium ;
Exules nos flere cogunt
Babylonis flumina.

Alleluia non meremur
In perenne psallere,
Alleluia vox reatus
Cogit intermittere,
Tempus instat, quo peracta
Lugeamus crimina.

Unde laudanda precamur
Te beata Trinitas,
Ut tuum nobis videre
Pascha des in aethere,
Quo Tibi laeti canamus
Alleluia perpetim.

OREMUS

Deus, qui nos concedis alleluiatici cantici deducendo solemnia celebrare, da nobis in aeterna beatitudine cum Sanctis tuis Alleluia cantantibus perpetuum feliciter Alleluia posse cantare. Per Dominum, etc.

Ad rem videre est Martène, *De antiq. Eccl. Rit. Lib.* IV, Cap. 16 : Guéranger, *Le temps de la Septuages.* pag. 121 et seq.: Mone, *Hymnes latins*, I, pag. 86 et seq.: Thalhofer, *Handbuch* etc. et inter antiquos Sicardum, *Mitrale*, Lib. VI, Cap. 1.

En pro modulo nostro *Alleluia* seu hebraicum seu christianum explanatum canticum. Inter afflictiones peregrinationis praesentis *Alleluia* communi est solamen. Nihilo tamen secius *Alleluia* quod hic canimus in exilio debilis est semper ac languidum, quantumvis licet contendamus, ut altius festivumque

resonet. Corporeum involucrum, et conditio exulantium, gaudii nostri nostraeque laudis obiectum quominus feliciter conspiciamus praepedit. Hinc nos continuo adhortemur oportet, stimuloque premamur, ut in laudem erumpamus summi Dei:

Sit laus plena sit sonora
Sit iucunda, sit decora
Mentis iubilatio.

Dies erit tamen, cum, detectis mysteriis, communium desideriorum obiectum consecuti, fides et spes in caritatem ardentissimam commutabuntur, quae una regnabit per saecula. Tum cum

. . . . i beati al novissimo bando
Surgeran presti ognun di sua caverna
La rivestita voce alleluiando (1),

tota credentium familia plurima uno in sermone coadunata, sermone inquam amoris, in nova Ierusalem congregabitur, e qua plenum concinet canorumque *Alleluia*, vocis instar tonitrui, quam Ioannes (2) audivit in insula Pathmos. Erit haec praeclara iucundaque cordis manifestatio, quod inebriavit torrens divinae voluptatis. Aeternum illud *Alleluia* praemium constituet hominum, qui omnium Creatori se reddiderunt, itemque perstrictior maximeque significans piorum explicatio consiliorum, quae in humana creatione ac redemptione a saeculo fuerunt abscondita.

(Finis).

IGNATIUS SALVATORI

(1) Dante, Purgat. Cant. XXX.
(2) Apocal. XIX. 1-6.

DIFFICULTATES QUAEDAM

Super 1ª Commemoratione in Vesperis

1. *Diff.* Quando in recitatione ipsa Vesperarum, *commemoratio* sequentis, *quod est in 1is Vesp.* et habet Capitulum, fieri debet ante *memoriam* praecedentis, *quod est in 2is Vesp.* et habet psalmos, *semper ne* idem ordo servandus est, si haec duo officia, nedum habeant *officium Vesperarum*, gaudent simplici memoria ob aliud officium sibi vindicans totas Vesperas?

Resp. Si petitio supponit duas commemorationes, sequentis scilicet et praecedentis, atque etiam tertium officium concurrens, quod integras sibi vindicat Vesperas, habetur absurdum liturgicum, quod facile patet. Hoc enim officium dignius, quod gaudet totis Vesperis, alterutrum ex dictis necessario simplificat, adeo ut aliud praecedens et aliud sequens, quae concurrant, impossibilia sint.

Si autem id non supponat petitio, tunc reponimus, admisso officio sequenti digniori, quod habeat integras Vesperas, prima post Orationem commemoratio erit praecedentis, si dicenda sit: altera autem post primam erit de simplificato. Haec norma, hic ordo sequendus semper iuxta Rubricas.

2. *Diff.* Ut animadvertunt *Ephem.* pag. 100 hui. anni pro recitatione Vesperarum praecedens *quod est in 2is Vesp.* habet primam partem seu psalmos; sequens vero, *quod est in 1is Vesp.* secundam partem vel Capitulum. Sed quid ad quaestionem? Hoc non est in causa; agitur solum de *prioritate memoriae*, quae in casu vere pertinet *ad sequens*,

minime vero *ad praecedens*, et sciscitor curnam alius ordo teneretur, si haec ambo officia reducerentur *ad simplicem memoriam* ob alterum superveniens officium, de quo recitantur integrae Vesperae.

Resp. Convenimus, psalmos Vesperarum non esse commemorationem. At quare adm. Rev. obiiciens tam firmiter insistit in praecedentia unius commemorationis prae alia, nisi ut dignitatem relativam officiorum in tuto ponat? Atqui id obtinetur non solum per commemorationem, sed etiam per psalmos, et quidem iuxta Rubricas. *Materialiter* ergo psalmi non sunt in causa, concedimus: *formaliter* non sunt in causa, vehementer negamus.

Sed adm. Rev. obiiciens quaerit, cur non semper idem teneatur ordo in commemorationibus? Hoc ipse asserit, et pro ipso verum est, eo quod falso arbitratur et constanter sustinet sed frustra, simplificatum ad officium diei pertinere. Sed pro nobis, qui, Rubricis adhaerentes, centies iteravimus, simplificata ad officium diei non pertinere, quia de iis non agitur officium, idem semper tenetur ordo. Itaque iuvet pro ultima vice repetere, commemorationem simplificati non esse commemorationem sequentis; quia sequens illud est quod habet Vesperas, aut saltem ius ad Vesperas, et simplificata neutrum habere possunt.

3. *Diff.* Dici nequit cum *Ephem.* unam commemorationem pertinere *ad officium*, et alteram *ad simplificatum*. Sumus siquidem in concurrentia (quod bene notandum est) et in hypothesi, ut ita dicam, duo sunt certe *extra officium Vesperarum*, quae absque eis essent completae, et itaque quis autumare poterit unum plus quam aliud pertinere *ad officium Vesperarum*?

Deinde, non vado contra Rubricam Tit. IX, n. 11, quae vult *semper praeponi commemorationes, quae ad officium pertinent, cuiuscumque sit ritus;* nam in casu nulla est commemoratio pertinens *ad Vesperarum officium*, ad

differentiam Vesperarum, quae constant ex praecedente et sequente per medium, ubi festum dimidians *officium Vesperarum* semper prius commemorari debet, *cuiuscumque sit ritus* relate ad alia.

Resp. Immo dici **debet** omnino cum *Ephem.* unam commemorationem pertinere, et alteram non pertinere ad officium diei, quia haec pertinet ad simplificatum, de quo non fit officium. Equidem sumus in concurrentia (quod bene notandum est); sed concurrentia respicit tantum duo officia non simplificata (hoc quoque bene notandum), haud vero illud quod simplificatum est. In hypothesi, consequenter, simplificatum **extra arenam manet**, et confundi non debet cum officio concurrente, quod **in acie dimicat**, quamvis inferior viribus Vesperas fortiori cedat. Non solum igitur dicendum est, *unum plusquam aliud ad officium Vesperarum pertinere*, sed **alterum pertinere**, **alterum non pertinere** ad officium Vesperarum.

Hinc patet, praelationem commemorationis simplificati super commemorationem officii concurrentis esse aperte contra Rubricam citatam; quia haec exigit ut *commemorationes... illae semper praeponantur, quae ad officium pertinent, cuiuscumque sit ritus.* Commemoratio autem pertinens, ad officium et quidem Vesperarum vere extat in casu, quamvis eaedem Vesperae divisae non fuerint.

4. *Diff.* Nec reponas Rubricam Tit. IX, n. 7, clare supponere *simplificationem* aequivalere *depressioni ritus* ad instar puri simplicis, quando e contra docet *semiduplex simplificatum* esse commemorandum *ad instar Dominicae* (Semid.) et *Duplex simplificatum*, e contra, *ad instar diei octavae* (dupl.). Primo enim, difficile captu est, quod simplificata evadant ipso facto simplicia, ut aiunt *Ephem.* pag. 99 huius anni, dum finaliter recurrere oporteat ad ritum eorum primitivum, si velis non errare in eis commemorandis secundo, si conferas numerum 1 et numerum

8 Tituli X *De Translatione festorum*, solum videtur esse *spiritus Rubricae*, quod simplificata tractentur sicut tractantur et simplicia, id est, *non sint transferibilia*, et attento impedimento, *commemorentur vel non*, prout sunt duplicia vel semiduplicia, teste Rubrica Tit. IX, n. 7, et iam perfecte cohaerent inter se Rubricae. Dato autem quod fiant vere simplicia, non amplius comprehenditur quomodo distinguatur inter semiduplex et duplex aequaliter simplificatum.

Resp. Diximus et iteramus, vere simplificationem aequivalere ex Rubrica *depressioni ritus*; quia de facto simplificata **uti simplicia** considerandа esse ratio liturgica ipsaque Rubrica docent. *Ratio liturgica*, quia cum officium integrum habere non debeant, uti duplicia et semiduplicia, remanet ut veluti simplicia fiant, seu ad modum simplicis. Simplex autem, quando habere nequit totum officium, prouti eius natura fert, commemoratur tantum in primis Vesperis et Laudibus, de lectionibus tacentes, si eas habeat. Simplificato autem duplici et semiduplici etiam tribuunt aliam commemorationem Rubricae in secundis Vesperis, quia etiam secundas Vesperas ex natura possident. Ad quid ergo duplicia et semiduplicia simplificata rediguntur? Responsio patet. *Ipsaque Rubrica*; explicite enim docet, de simplificatis agendam esse commemorationem in utrisque Vesperis et Laudibus: quod probatione non indiget.

Sed vero adm. Rev. obiiciens in contrarium affert alia verba Rubricae, dicentia, *semiduplex simplificatum esse commemorandum ad instar Dominicae* (*semid.*), *et duplex e contra ad instar dici octavae* (*dupl.*). Concedimus; sed quid ex eo argui possit contra doctrinam expositam a nobis, non intelligimus. Etenim sic Rubrica se exprimit, quia paulo ante dixerat: « De aliis vero Dominicis per annum et Octavis, commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus (*Tit. 9, n. 7*) ». Consequens ergo erat, ut legem

paulo post ferens Rubrica de duplicibus et semiduplicibus simplificandis, legentium mentes ad superiorem iam statutam legem revocaret, dicens: « De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties... reduci debent ad instar simplicis, fit pariter commemoratio, **ad instar diei Octavae et Dominicae**, in utrisque Vesperis et Laudibus (*Loc. cit. n. 7*) ». Sed Officium **istius diei octavae** de qua Rubrica loquitur, est duplex **simplificatum**, sicut semiduplex **simplificatum** est Officium Dominicae; et idcirco duplex et semiduplex **simplificata**, Rubrica edicit, tractanda sunt sicut dies Octava et Dominica, pariter **simplificatae**. In titulo enim IX num. 7^mo^ agitur explicite de modo simplificandi omnia Officia videlicet: Dominicarum et feriarum maiorum, Sanctorum simplicium, Dominicarum communium, Octavarum, duplicium et semiduplicium; et Rubrica dicit, de omnibus et singulis simplificatis trinam agendam esse commemorationem, exceptis simplicibus, de quibus fit bina tantum, et feriis Quatuor Temporum, vigiliis et secunda Rogationum, de quibus fit tantum una.

Ergo, quando Rubrica docet semiduplex simplificatum esse commemorandum ad instar Dominicae, intellige: *ad instar Dominicae etiam simplificatae*; et quando Rubrica docet, duplex simplificatum commemorandum esse ad instar diei octavae, intellige: *ad instar diei Octavae simplificatae*. Ceterum, aliter interpretari praefatam Rubricam, esset inexplicabile aenigma; quia de Dominicis, tamquam semiduplicibus, et de diebus Octavis tamquam de duplicibus, non trina tantum commemoratio fieri debet, sed integrum officium novem lectionum.

Hinc colliges: 1. non solum non *esse difficile captu*, sed esse veritatem quasi dicam per se notam, *quod simplificata ecadant ipso facto simplicia*, ut aiunt Ephem. loco citato. Quod si oportet recurrere ad ritum eorum primitivum in illis commemorandis, id tantum accidit ut statuatur ordo

commemorationum inter se, nunquam comparative ad commemorationes officiorum concurrentium: quae, utpote superioris gradus, semper praecedentiam habent super illas, quae pertinent ad officia non concurrentia, utpote inferioris gradus. 2. Collatis num. 1 et 8 Tit. X, sequitur certe hunc esse spiritum, et hanc esse etiam litteram Rubricarum, ut simplificata transferri nequeant, sicuti nec dies Octava nec Dominica transferri possunt, et ut vel commemorentur vel non, prouti sunt duplicia vel semiduplicia. Sed vero hoc non excludit illud, quod superius intulimus et conclusimus, videlicet duplicia et semiduplicia esse consideranda ad instar diei Octavae et Dominicae simplificatarum. Sicut autem dies octava simplificata distinguitur a simplificata Dominica, ita etiam duplex simplificatum a simplificato semiduplici distinguitur: quod adm. Rev. arguens facile intelliget, eius attenta in re liturgica peritia, dummodo bene advertat; hinc et ab exemplis afferendis libenter abstinemus.

5. *Diff.* Si nunc obiicias Rubricam Tit. XI, n. 10 adimere ius ad Vesperas in simplificato, et ius istud perseverare in officio quod celebratur *in occurrentia*, dico primo hanc Rubricam esse *extra quaestionem*, quoniam agitur non de *recitatione Vesperarum*, sed de *prioritate memoriae*, iam dictis Vesperis. Secundo, falsum est Rubricam pronuntiare destitutionem iuris ad Vesperas in simplificatis, sed docet tantum de illis *non convenire* recitari Vesperas: quod vere supponit ius ad Vesperas in eis subsistere. Tertio etiamsi sensum huius destitutionis haberet Rubrica, sumus in odiosis, et tritum est axioma: *odiosa sunt restringenda*. Unde verba rubricalia debent esse strictae interpretationis, et limitari *ad casum simplificati tantum, quod aliter praecederet ipsum officium, quod illud simplificavit,* ut patet ex contextu.

Resp. Nos non obiicimus, sed simpliciter allegamus cita-

tum Rubricae textum, quae patenter admit simplificato ius ad Vesperas, quas proinde nec habet nec habere potest. At obiicitur, primo, hanc Rubricam esse extra quaestionem; agit enim de Vesperis, in casu autem nostro agitur de prioritate commemorationis post Vesperas. Sed reponimus prioritatem commemorationis dependere a Vesperis, vel a iure ad illas, ut simplificatum, quod ius ad Vesperas non habet, nec possit, in commemorationibus Vesperarum, prioritate frui. Videat ergo adm. Rev. obiiciens, Rubricam citatam, indirecte saltem, optime ad rem facere.

Quod autem secundo dicitur, nobis speciosum nimis apparet. Quid enim significat illud Rubricae: *Vesperas non convenire?* Idem est ac si Rubrica diceret: *Vesperae fieri non debent*, et nullus profecto Liturgicorum hactenus contrarium docuit aut egit. Nec putamus adm. Rev. obiicientem id velle docere aut in praxim deducere. Quod autem fieri non debet, fieri nec potest, quia prohibitum. Prohibitum vere est, quia eiusmodi Vesperae essent initium quod compleri nequit, essent sine corpore caput. Quid autem eiusmodi officium? Dicere posses Monachorum ordinem, ex quibus solus Abbas existit, vel Canonicorum Collegium de quo solus Archipresbyter vita fruitur.

Additur, Rubricam supponere ius ad Vesperas. — *In genere*, concedimus, *in specie* negamus: secus haberetur in casu concursus, quo tamen destituitur officium simplificatum.

Denique quod tertio asseritur, est plane singulare, et concedi non potest. Primo, quia nihil valere potest in re liturgica principium allatum: haud enim de odiosis agitur vel favorabilibus, haec quippe homines respiciunt, non festa liturgica. Secundo, quia verba rubricalia dicentia, non convenire seu non esse tribuendas Vesperas officio, quod celebrari per integrum non potest, implicite praedicant, illius commemorationem faciendam gradus esse inferioris,

quam aliam officii concurrentis. Porro commemorationes concurrentium, omnes sunt eiusdem gradus: ut si com. officii simplificati non debet praecedere commemorationem officii, a quo simplificatum est, neque aliam praecedere possit alterius officii quod simul concurrit. Id constat, et non aliud, ex collatione Rubricae Tit. XI, n. 10, cum alia Rubrica Tit. IX n. 11, quae inter se optime cohaerere debent et cohaerent.

6. *Diff.* Caeterum, haec radicalis privatio iuris ad Vesperas in simplificatis, adeo aliena est a sensu Rubricae ut peculiarem contineat prohibitionem ad impediendum recitationem eius Vesperarum, quae aliter posse fieri supponitur; et certe prohibitio, quae fundatur *super anomalia postponendi in Vesperis officium, quod simplificavit alterum in occurrentia*, non extendi potest ad casus *anomaliae huius* expertes, quin violetur haec Rubrica; *nam cessante anomalia, cessaret quoque prohibitio.*

Resp. Negat adm. Rev. arguens, Rubricam hic privare radicaliter iure ad Vesperas simplificatum; et hanc privationem asserit a Rubricae sensu adeo alienam, *ut peculiarem contineat prohibitionem, ad impediendam recitationem Vesperarum, quae aliter fieri posse supponitur.* At contra inquirimus: Officium simplificatum potest ne aliquo in casu habere Vesperas? Certa responsio negativa est; quia Rubricae edicunt, de simplificato nonnisi trinam commemorationem posse fieri, prima in primis Vesperis, secunda in Laudibus, tertia in secundis Vesperis. Ergo simplificatum Vesperis gaudere impossibile est ex Rubrica. Hac autem simplificatione supposita, diximus simplificata **radicaliter** privari iure ad Vesperas, **quatenus nempe talia**, videlicet privata officio integro. Hinc, sit officium concurrens dupl. I classis, sit duplex II classis, sit duplex maius aut minus, sit semiduplex, sit etiam simplex, **nunquam** simplificatum poterit habere Vesperas, sed **semper** et **tantum** commemo-

rationem habebit; idque una de causa quia simplificatum est. Ergo simplificatio est ratio, causa, radix, ex qua aliquod officium ius amittit ad Vesperas; et hoc sensu diximus simplificatum privari, et quidem ex Rubricis, **radicaliter** iure ad Vesperas. Dum e contra officia concurrentia ius semper retinent, quamvis **per accidens**, hoc est, ratione alterius concurrentis superioris ritus, alterum inferioris ritus privari possit Vesperis, vel, si malis, etiam iure ad illas, sed **accidentaliter** tantum.

Prohibitionem autem peculiarem Vesperarum pro simplificato admittimus; sed admittenda quoque est prohibitionis causa, ratio, radix, quae in ipsa simplificatione consistit, ut supra diximus, iuxta Rubricam. Additur: Vesperarum recitationem fieri posse Rubrica supponit. Distinguo: fieri posse supponitur, si non fuisset simplificatum, concedimus: si sit simplificatum, absolute negamus. Ratio distinctionis luce meridiana fulgidior est; Officium enim quod superius est ritu simplificato, officium simplificatum esse simul non poterit in aeternum, quia repugnat.

Quod autem asseritur de anomalia, non respuimus; sed dicimus, prohibitionem Vesperarum non in ea tantum fundari, verum etiam, imo potissimum in simplificatione ritus, ita loquente lege, atque ita eam interpretante S. R. Cong.ne. Consequenter, sicut simplificatum minus est quam Officium a quo simplificatum fuit, quia hoc impedivit Officium illius integrum, ita minus quoque est altero Officio, quod non fuit integre impeditum. Ergo necesse est, ut illud Officium inferius, quod in trina tantum commemoratione consistit, ius prioritatis, quod spectat commemorationem, cedat, non solum illi Officio a quo impeditum aut simplificatum fuit, sed alteri etiam concurrenti, quod nec per integrum fuit impeditum aut simplificatum.

Ex quibus inferes, optime servari Rubricam, nec aliter immo faciendum esse, quando commemoratio simpli-

ficati postponitur, non solum commemorationi Officii, quod est ipsius simplificati causa efficiens, sed etiam alterius commemorationi Officii concurrentis, quod simplificatum non est. Quia causa postpositionis praedictae non est sola anomalia, de qua loquitur adm. Rev. obiiciens, sed etiam simplificatio, quae ad utrumque Officium et ad utriusque commemorationem respectum habet.

Denique, verum confitemur, quod cessante anomalia, cessaret quoque prohibitio, sicut cessante simplificatione, cessaret quoque ratio prioritatis in commemoratione; sed confitemur pariter, cessante infirmitate, aegrotum in sanitatem redire, sicut cessante morte, hominem ad vitam restitui.

7. *Diff.* Exemplum differentiam ostendet.

Die 17 Febr. 1900, fit in Sabb. de Immaculata *semid.*; die 18, Dom. in Sexagesima occurrit *dupl.* Ss. Fundatorum; et die 19, S. Andreas, *dupl.* Quum in Vesperis nondum existit privilegium Sexagesimae adnexum praevalendi super omne dupl. etiam 2ae cl., Vesperae in Sabbato sunt de Immaculata usque ad Cap., et a Cap. de Dominica cum com. Immaculatae, et deinde Ss. Fundatorum.

Quare, inquies, non dicuntur Vesperae Ss. Fundatorum *dupl.*, quando Sexagesima in Vesperis non est privilegiata? Rubrica, cuilibet alii responsioni repugnans, autumat simpliciter quod non conveniret postponere in Vesperis Sexagesimam, quae in occurrentia simplificabit Ss. Fundatores, et tota prohibitio fundatur in hac anomalia, qua deficiente cessaret et prohibitio. Si autem petas, cur commemorentur post Immaculatam? Scies hanc pertinere in casu *ad officium Vesperarum*, quarum habet Psalmos, non autem Ss. Fundatores, qui sunt *extra officium Vesperarum*, et tunc habes applicationem puram Rubricae Tit. IX, n. 11.

Resp. Admisso exemplo, in pluribus non convenimus, quae adm. Rev. arguens dicit. Et primo, censura notamus

verba: *Rubrica, cuilibet alii responsioni repugnans, autumat simpliciter, quod non conveniat postponere in Vesperis Sexagesimam, quae in occurrentia simplificabit Ss. Fundatores.* Namque cuilibet alii responsioni repugnare Rubricam, est contra ipsam Rubricam aperte praedicantem: « Cum festum... in sequenti die non habeat officium..., nec etiam convenit illud habere primas Vesperas (*Tit. XI, n. 10*) »; loco autem Officii fiet commemoratio: « Cum commemoratione festi... occurrentis (*Ib.*) ». Atqui festum quod non habet Officium, est simplificatum; et illius commemoratio indicat, et constituit eius simplificationem; ergo Rubrica aliam, petitioni adm. Rev. arguentis, responsionem admittit, id est: Vesperae Ss. Fundatorum ideo non dicuntur, licet adhuc Sexagesima privilegiata non sit, quia Ss. Fundatores simplificati sunt. Ergo, iuxta Rubricam, simplificatio festi est **alia ratio**, et quidem vera, ex qua ipsum festum Vesperas habere non potest. Ratio autem ab arguente allata est partialis, nostra est generalis: illa infertur ex Rubrica, haec vero explicite a Rubrica ponitur et assignatur.

Insuper Rubrica non **autumat** (1), sed docet edicitque non convenire Vesperas festo simplificato Ss. Fundatorum, quod celebrari non debet, seu **quod non habet Officium** (*Tit. XI, n. 10*). Tertio, anomaliam silentes uti unicam prohibitionis Vesperarum rationem, de qua satis dixisse

(1) Verbum *autumare* sumitur aliquando ad significandum *affirmare*, sed a M. A. Plauto, quem comicae poesis principem facile dices, non vero bonae latinitatis. Huiusce quidem est princeps M. T. Cicero, nemine contradicente, Orator omnium maximus: qui *autumare* sumit tantum ad significandum *pensare, credere, immaginare, stimare etc.* Si sub illo sensu accipit *autumare* adm. Rev. arguens, dicimus: *transeat.* Si autem sub altera significatione, animadvertimus, non esse legislatoris *autumare*, sed legem ferre. Id quidem aequivocationis eliminandae causa: ut vis Rubricae in tuto ponatur.

autumamus, iterum aliquatenus contradicere cogimur rationi, ex qua postponitur commemoratio simplificatorum Fundatorum commemorationi Immaculatae Deiparae. Scias namque, commemorationem istam pertinere ad Officium Vesperarum, non vero aliam Ss. Fundatorum, qui ad ritum simplicem redacti fuerunt. At notes velim, commemorationem aliquam posse ad Officium Vesperarum pertinere, etsi psalmos per accidens non habeat, ut alibi exposuimus; namque non sunt psalmi, qui primas tribuunt commemorationi, sed est ratio concurrentiae, quae efficit, ut commemoratio aliqua ad Officium Vesperarum pertineat. Sicut e contra concurrentiae defectus efficit, ut commemoratio sit extra Officium Vesperarum, uti in casu com. Ss. Fundatorum. Sic et non aliter applicatam habere potes Rubricam, seu Tit. XI, n. 10, seu Tit. IX, n. 11: quae non possunt, quin inter se apprime cohaereant.

8. *Diff.* In Dominica, Vesp. erunt de *dupl. seq.* cum com. Dom. et deinde Ss. Fundatorum. Quare? Sexagesima non habet Vesperas ob cessationem eius privilegii post Nonam; Ss. Fundatores, *dupl.* non habent Psalmos, quia si gauderent prima parte Vesperarum, quando fuerunt tantum commemorati in occurrentia cum Sexagesima, tunc praecederent officium quod illos simplificavit. Restat igitur ad sequendam Rubricam, ut totae Vesperae sint de S. Andrea, et Sexagesima commemoretur ante Fundatores.

Resp. Rem admittimus, sed circa rationem rei, aliter, vi Rubricarum, disserendum credimus: quamvis non integre respuamus, quod adm. Rev. obiiciens hic exponit. Itaque Sexagesima Vesperas integras cedere debet S. Andreae sequenti, dup. II classis, cum ipsa sit semiduplicis ritus idque ex Rubricis. Prima tamen commemoratione gaudebit, post Vesperas S. Andreae, quia est concurrens, cum ad Officium diei pertineat. Festum Ss. Fundatorum, utpote simplificatum, proindeque extra Officium diei, ultimo com-

memorabitur, scilicet post duo concurrentia. Ratio autem allegata, *quia* videlicet *psalmos non habet*, est inutilis, eo quod nec illos habet, nec potest habere, est enim simplificatum. Quare autem iterum dicitur: *quia si gauderet etc.*? Hoc enim idem propemodum esset ac dicere: Si Titius defunctus non esset, adhuc viveret: vel, si non esset infirmus, sanus foret.

9. *Diff.* Sit aliud exemplum. Si autem in feria II, loco S. Andreae *dupl.*, celebretur S. Leodegarius *simpl.*, quid agendum? Vesperae sunt de Sexagesima quia, etiam suo privilegio sublato, non convenit Vesperas recitare de Fundatoribus, *dupl.*, quia iam praeferrentur Sexagesimae, quae illos simplificavit in occurrentia. Deinde prima commemoratio fit de Ss. Fundatoribus quia, sine peculiari prohibitione Rubr. Tit. XI, n. 10, iam *de illis recitarentur Vesperae*, cessante post Nonam privilegio Sexagesimae, dum Simplex concurrens cum aliqua Dominica *nunquam absolute quit habere Vesperas*. Nec allegari potest in oppositum Rubrica Tit. IX, n. 11, quae vult praeferri commemorationem pertinentem ad officium; nam sumus *in concurrentia*, et S. Leodegarius non pertinet *ad officium Vesperarum* quoniam Vesperae totae sunt de Sexagesima. Denique hic ordo non opponitur Rubricae Tit. XI, n. 10, quia exigit tantum *officium simplificatum* nunquam praecedere in qualibet hypothesi *illud quod* simplificavit, quin hic casus particularis possit ad alios extendi, et quin quaestio sit de destitutione iuris ad Vesperas in simplificatis *in genere*.

Haec omnia humillime submitto Sapientioribus ut discutiantur, et magis ac magis elucidetur quod spectat ad primam commemorationem in Vesperis; eo magis quod novae Rubricae non loquuntur de prioritate concurrentis, ut decretum 5 Febr. 1895, sed praeponunt commemorationes quae *ad officium* pertinent; et ita haec nova redactio tollit

anomaliam ex decreto resultantem et indicatam anno 1899 pag. 189 *Ephemeridum*.

Resp. Animadvertimus, defunctum esse non posse vivum, aut certe infirmum repugnare esse eodem tempore sanum. Si festum Ss. Fundatorum est **simplificatum**, quare adm. Rev. obiiciens appellat **duplex**? Fuit quidem et erit **duplex**, sed nunc in casu est **simplificatum**; et **simplificatum** ac **duplex** simul esse nequit. Porro semiduplex praecedit festum simplex; et cum de Dominica agatur, praecederet etiam semiduplex alicuius Sancti sequentis; ergo integrae Vesperae erunt de Sexagesima. Cuiusnam autem erit prima commemoratio? Ss. Fundatorum? Minime gentium; quia hoc festum uti **duplex** est **defunctum**, et nonnisi uti **simplificatum** hic et nunc vivit, seu impar concurrendo. Manet ergo, ut prima com. fiat de Simplici sequenti; quia hoc simplex habere debet officium, concurrit, et illa com. ad Officium pertinet: aliunde, uti alibi exposuimus, magis est **simplex** quam **simplificatum**. Ratiocinandi modus et principia, quibus hic utitur adm. Rev. arguens, sunt veluti notae antiquitatis reliquiae, quibus valedicendum est.

Diversus autem commemorationum ordo est manifeste contra Rubricas, ut superius et pluries dictum est, quin hic quoque eadem cogamur iterare.

Quod spectam anomaliam, de qua loco citato Ephemerides sunt locutae, negligendam diximus et dicimus. Quia occurrentia non est concurrentia; et si in Missa habeatur com. S. Luciae ante commemorationem diei infra Octavam, et in Vesperis sequentibus ordo inversus, id accidit quia in dictis Vesperis incipit aliud Officium, hoc est diei infra octavam, de quo non agebatur in Missa. Anomalia ergo, si ita vis appellare, levissimi est momenti, et satis sapienter explicatur.

Haec pro ultima vice, in argumentum, ex professo saltem, non amplius redituri.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Iulius 1900.

PROPOSITIO.

Missa de requie in Oratorio privato domus, in qua aliquis decessit, potestne quotidie fieri, usque dum cadaver in Ecclesiam deferatur?

SOLUTIO (1)

Mihi videtur Ius positivum liturgicum sed recentius, consulendum esse super hac re: ita ut, si id concedatur, petitio mereatur responsum affirmativum: si id non concedatur, petitio mereatur responsum negativum.

Ius ergo consulo: « Quibuslibet Ecclesiis et **Oratoriis** quum publicis tum **privatis**... Missa privata de requie praesente, insepulto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, fieri posse **die vel pro die obitus aut depositionis**, sub clausulis et conditionibus, quibus iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur, exceptis duplicibus primae classis, Dominicis aliisque festis de praecepto (*S. R. C. 19 Maii 1896 et confirm. a Pontifice 8 Iun. eiusd. anni: num. 3903*). »

Ex quo novo liturgico iure recentiori certum constat: 1. **Missas**, non autem **Missam tantum**, celebrari posse privatas de requie die vel diebus supra expositis, posita praesentia vel physica vel morali cadaveris. 2. **Missas privatas** fieri posse quoties **Missa solemnis** *de requie* permittitur, si duplicia tantum excipias I cl. Dominicis festisque de praecepto. 3. Easdem **Mis-**

(1) Solutionem propositae quaestionis dederunt ad nos Academicus A. Fourneret, et Ioseph D'Adamo. Ille stat pro una Missa plana in uno tantum die: iste sententiam tenet, eam pluries iterari posse donec cadaver ad Ecclesiam deferatur. Hanc selegimus, quod magis animarum favet utilitati, quamvis de opinione, haud de certa veritate agatur. Illa fortasse litterae legis respondet magis, ni fallimur, quam spiritui. Utriusque tamen solutio merita laude dignam iudicamus.

sas esse indultas **die vel pro die obitus aut depositionis.** Super interpretatione huius tertiae propositionis indulti vehemens quaestio potest exoriri. Nam si plures Missae in aliquo Oratorio concessae fuerint, certum est eas in uno saltem ex diebus iure merito posse celebrari, cum **Missae** in indulto nominentur, non **Missa**. At, sive una, sive plures sint in Oratorio permissae, eadem Missa vel eaedem Missae iterari ne poterunt a die obitus (infra biduum) ad diem sepulturae ? Hoc non videtur clarum in indulto. Ambiguitas derivat a particula **vel**, si enim indultum adhibuisset particulam **et**, iudicio meo non foret disputandum, tunc enim omnes dies explicite comprehendisset ab obitu ad sepulturam. Sed particula disiunctiva **vel** (2) indicare solet unam tantum ex rebus enumeratis, et in casu unum tantum ex diebus recensitis. Recensentur autem tres dies: 1° dies obitus, 2° dies pro obitu, seu qui stat loco obitus, 3° dies depositionis, hoc est sepulturae. Indultum itaque dicere videtur, praedictas Missas celebrari posse, non in omnibus et singulis diebus nominatis, sed in uno tantum ex illis, nempe : aut in die obitus, aut in die qui stat pro obitu, aut in die depositionis. Nihilominus particula **vel** sumitur etiam ad coniunctionem significandam, quasi te (3). Quonam ergo seu in casu accipienda est superdicta dicendi ratio ? Non satis clarum video.

Pergo ad aliud Decretum consulendum super eadem materia, si forte unum per aliud interpretari possit. Est decretum in *Romana* diei 12 Ian. 1897, et quaeritur in eo: « **Missae privatae de requie**, quae sub expressis conditionibus celebrari possunt praesente cadavere, licitae ne erunt in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis, sive publicis sive privatis ? *R.* Affirmative dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens... (*Ad III*) », Eiusmodi est Decretum praesens: ex quo nihil certi deduci po-

(2) Tullius scribit « Socius **vel** minister » *compagno* o *ministro* : quae duo longe diversa significant. Caesar ait, **Vel** persuadere **vel** vi cogere, o persuadere o costringere colla forza : quae duo pariter aliud significare volunt.

(3) Virgilius dicit: « Pietate vel armis egregius » insigne per pietà e per l'armi: quae duo per particulam **vel**, coniunctionem indubie significantem, uniuntur.

test, nisi quod et in eo agitur **de Missis privatis**, consequenter non de una, sed de pluribus Missis, quae permissae dicuntur **sub expressis conditionibus**. Verum, an eae Missae in uno die tantum permissae sint, an in singulis diebus qui possunt decurrere a morte ad sepulturam, hoc Decretum pariter tacet.

Examinemus verba « sub expressis conditionibus ». Hae conditiones sunt: *a*) praesentia cadaveris vel physica vel saltem moralis: *b*) ut Missae privatae sint indultae, si indulta fuerit etiam Missa exequialis, in Ecclesia tamen: *c*) ut non possint dici si occurrant duplicia I. cl. vel Dominica aut festum sub utroque praecepto servandum. Nil ergo etiam ex hoc Decreto deduci potest, ut incertitudo rei tollatur circa dies earumdem Missarum.

At fortasse dici posset, Missam vel Missas posse dici solum in una die, quia Decretum **Aucto** primo relatum sic se exprimit: « Missas privatas de requie fieri posse, **quoties iisdem in casibus** Missa solemnis de requie decantatur ». Atqui Missa ista, quae est exequialis, pro una vice, seu pro uno die solum permittitur; ergo illae quoque pro uno die solum permittuntur. Sed observandum ex altera parte, indultum Missarum, de quibus agitur, spectare tam Ecclesias et Oratoria publica, quam Oratoria privata; et in his omnibus indulgentur Missae *sub clausulis et conditionibus, quibus Missa de requie iisdem in casibus decantatur etc.* Iam vero clausulae et conditiones eiusmodi non possunt, omnes et singulae, inquam, respicere Oratoria privata; et inter has clausulas peculiariter Missae decantatio impossibile est ut respiciat Oratoria privata, in quibus Missae decantatio est vetita.

Sed subsumes: nihil interest Missae cantatae vetitum in Oratoriis privatis; sed indultum ita sonat, ut Missae privatae in illis tunc solum haberi possint, quando Missa cantata in Ecclesia habetur. Reponimus, id esse falsum, et interpretationem praxi communi non respondere. Et sane: Titius hodie moritur mane, et funeralia in Ecclesia nonnisi die sequenti haberi possunt. Caius Sacerdos et frater Titii, Oratorii privati privilegio gaudens in domo Titii, nonne statim poterit, permittente ritu, Missam de requie celebrare pro anima fratris sui? Hoc concedunt

omnes; non ergo requiritur pro Missa privata in Oratorio domestico, ut Missa cantata in Ecclesia habeatur. Videtur ergo potius tenendum, hanc conditionem respicere Missas privatas dicendas in Ecclesia, ut privatae non sint licitae, nisi haberi debeat cantata. Unde ad dubium, an dictae Missae privatae sint licitae in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis, S. C. reposuit: « Affirmative etc.; sed si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exequiali (*Romana 12 Ian. 1897, ad III, n. 3943*) ». Ergo ista conditio non potest tangere Missas privatas de requie in Oratorio domestico celebrandas. Restat igitur ut conditiones pro iis Missis sint tantum: praesentia cadaveris physica aut moralis, qualitas ritus, et festum de praecepto. Consequenter stat adhuc incertitudo rei.

Rebus ita stantibus, datur locus interpretationi, quae lata esse potest, imo et debet, cum sit indultum universale, sine ullius praeiudicio, quinimmo in favorem defunctorum. Eoque etiam magis, quia totum Decretum **Aucto** defunctorum animas adiuvare intendit, et est unicum propositum suum. Est itaque Decretum **Aucto** indultum, quod induit naturam privilegii: et potiusquam contra, praeter ius commune, non cedens in alicuius praeiudicium, sed in utilitatem animarum, non solum secundum se, sed etiam secundum intentionem concedentis. Sicut autem odiosa convenit restringi, ita favores ampliari (*Cap. Odia 15, de reg. iuris in 6*).

Ex quibus omnibus attentis infero responsionem ad propositum quaesitum, quae, rationibus praecipuis perstrictis, sic enunciari potest: Cum Decretum loquatur **de Missis,** *non de Missa unica*, in Oratoriis privatis: cum dictionis modus significare possit et *unum diem tantum*, et **singulos dies** ab obitu ad sepulturam: cum expressae conditiones Decreti **Aucto**, quae Oratoria privata respiciunt, praefatas Missas non prohibeant: cum Decreti **Aucto** natura privilegium supra ius commune importet, nulli praeiudicium ferens, et animabus purgatorii plurimum favens, ac proinde latiorem interpretationem patiatur: salvo peritiorum iudicio, respondeo: Affirmative.

Ioseph D' Adamo
Alumnus Scholae Apostolicae.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE OCTOBRI 1900.

Protonotarii Apostolici ad instar possuntne, uti Pontificalia Missarum, ita Pontificalia Vesperarum, aliarumque minoris gravitatis functionum Pontificalia agere ?

APPENDIX

E SACRA POENITENTIARIA.

I.

In praedictis *Monitis*, num XXIV legitur: « Visitatio quatuor Basilicarum in uno die fieri debet, vel nimirum ab una « ad alteram mediam noctem, vel a vesperis diei praecedentis « usque ad subsequentis vespertina crepuscula ».

Quaeritur pro secura praxi fidelium: Utrum ille, qui ex gr. post horam diei civilis decimam quartam explevit visitationem quatuor Basilicarum, sive tenuerit computationem diei naturalis, sive ecclesiastici, possit denuo ingredi postremam Basilicam, et ibi utiliter iterare statim novam visitationem cum animo perficiendi reliquas visitationes die sequenti ?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, adprobante SS.mo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet:

Praecisione facta a definitione temporis, quo vesperae incipiunt, qua de re consulat probatos Auctores, quoad cetera affirmative.

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

II.

In iisdem *Monitis*, num. XXV legitur: « Noverint Poeni« tentiarii minores... interdictum sibi esse quidquid in Consti-

« tutione *Pastor bonus* Cardinali Poenitentiario Maiori interdi-
« ctum est, prout essent ex gr. qui vivente Romano Pontifice
« circa Successoris electionem tractatus inierint, suffragia com-
« paraverint, aut pactiones fecerint, et qui astrologia iudiciaria
« vel per se vel per alios de statu reipublicae christianae, sive
« de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis
« inquisierint ».

Cum casus *astrologiae iudiciariae* non videatur nec directe nec indirecte contineri in Constit. *Apostolicae Sedis*, quaeritur: An sit aliqua nova censura: vel considerari debeat uti specialis casus Romano Pontifici reservatus absque censura? Seu quid tenendum?

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, adprobante SS.mo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII, respondet:

Qui astrologia iudiciaria vel per se vel per alios de statu reipublicae christianae inquisierint, ii sunt intelligendi qui de vita aut morte Romani Pontificis per astrologiam dictam inquisierint, quorum censuras Constitutio Apostolicae Sedis *servavit incolumes.*

Datum Romae in S. Poenit. die 20 Februarii 1900.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.